

PA 2095

.S45



Class PA 2095

Book S45

Copyright N^o _____

COPYRIGHT DEPOSIT.



A SELECTION OF LATIN VERSE

EDITED BY
THE INSTRUCTORS IN LATIN
WILLIAMS COLLEGE



NEW HAVEN: YALE UNIVERSITY PRESS
LONDON: HUMPHREY MILFORD
OXFORD UNIVERSITY PRESS
MDCCCXCIV

PA 2095
S 45

COPYRIGHT, 1914
BY YALE UNIVERSITY PRESS
First printed March, 1914, 1000 copies

APR -2 1914

8.75

© Cl. A 369780

no 1

PREFACE

This compilation of Latin verse has been prepared to meet the needs of the Freshman classes in Williams College. Many students do not continue the study of Latin after the first year in college. The ample provision for these may serve also to sharpen the appetite of others who later are to make a more thorough study of some of the authors here included. The aim, therefore, has been to make a selection representative of the best Latin poetry of all periods, and full enough to enable the instructor to draw at discretion from the supply contained in a single volume.

In matters of orthography and textual criticism the effort has been made not to sacrifice scholarship to the clearness and simplicity that are essential in a book of this nature.

The editors plan to publish later brief explanatory notes.

HENRY D. WILD
GEORGE E. HOWES
MONROE N. WETMORE
JOHN S. GALBRAITH
ALFRED M. DAME

Williamstown, Mass.,
December 23, 1913.



A SELECTION OF LATIN VERSE

Q. ENNIUS

1

Et cita cum tremulis anus attulit artubus lumen.
Talia tum memorat lacrimans exterrita somno:
'Eurydica prognata, pater quam noster amavit,
vires vitaeque corpus meum nunc deserit omne.
Nam me visus homo pulcher per amoena salicta 5
et ripas raptare locosque novos. Ita sola
postilla, germana soror, errare videbar
tardaeque vestigare et quaerere te neque posse
corde capessere: semita nulla pedem stabilibat.
Exim compellare pater me voce videtur 10
his verbis: "O gnata, tibi sunt ante gerendae
aerumnae, post ex fluvio fortuna resistet."
Haec effatus pater, germana, repente recessit
nec sese dedit in conspectum corde cupitus,
quamquam multa manus ad caeli caerulea templa 15
tendebam lacrimans et blanda voce vocabam.
Vix aegro cum corde meo me somnus reliquit.'

2

Curantes magna cum cura tum cupientes
regni dant operam simul auspicio augurioque.

Hinc Remus auspicio se devovet atque secundam
 solus avem servat. At Romulus pulcher in alto
 quaerit Aventino, spectat genus altivolantum. 5
 Certabant, urbem Romam Remoramne vocarent.
 Omnibus cura viris, uter esset induperator.
 Exspectant veluti, consul cum mittere signum
 vult, omnes avidi spectant ad carceris oras,
 quam mox emittat pictis e faucibus currus, 10
 sic exspectabat populus atque ora tenebat
 rebus, utri magni victoria sit data regni.
 Interea sol albus recessit in infera noctis.
 Exim candida se radiis dedit icta foras lux;
 et simul ex alto longe pulcherrima praepes 15
 laeva volavit avis, simul aureus exoritur sol.
 Cedunt de caelo ter quattuor corpora sancta
 avium, praepetibus sese pulchrisque locis dant.
 Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,
 auspicio regni stabilita scamna solumque. 20

3

O Tite tute Tati tibi tanta, tyranne, tulisti.

4

At tuba terribili sonitu taratantara dixit.

5

Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse.

6

'Nec mi aurum posco nec mi pretium dederitis:
 non cauponantes bellum, sed belligerantes
 ferro, non auro, vitam cernamus utrique.

Vosne velit an me regnare era quidve ferat Fors
 virtute experiamur. Et hoc simul accipe dictum: 5
 quorum virtuti belli fortuna pepercit,
 eorundem libertati me parcere certum est.
 'Dono, ducite, doque volentibus cum magnis dis.'

7

Haece locutus vocat, quocum bene saepe libenter
 mensam sermonesque suos rerumque suarum
 comiter impertit, magnam cum lassus diei
 partem fuisset de summis rebus regendis
 consilio, indu foro lato sanctoque senatu, 5
 cui res audacter magnas parvasque iocumque
 eloqueretur, et cuncta malaque et bona dictu
 evomeret, si qui vellet, tutoque locaret.

Quocum multa volup ac gaudia clamque palamque!
 Ingenium cui nulla malum sententia suadet 10
 ut faceret facinus, levis, haud malus, doctus, fidelis,
 suavis homo, facundus, suo contentus, beatus,
 scitus, secunda loquens in tempore, commodus, verbum
 paucum, multa tenens, antiqua sepulta vetustas
 quae facit; et mores veteresque novosque tenentem, 15
 multorum veterum leges divumque hominumque,
 prudentem, qui dicta loquive tacereve posset.
 Hunc inter pugnans Servilius sic compellat.

8

Ille vir haud magna cum re, sed plenus fidei.

9

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.
 Noenum rumores ponebat ante salutem.
 Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.

10

Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.

11

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

12

Et tum sicut equus, qui de praesepibus fartus
vincla suis magnis animis abruptit et inde
fert sese campi per caerula laetaque prata
celso pectore, saepe iubam quassat simul altam,
spiritus ex anima calida spumas agit albas.

5

13

Sed superstitiosi vates impudentesque harioli,
aut inertes aut insani aut quibus egestas imperat,
qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam,
quibus divitias pollicentur, ab iis drachumam ipsi petunt.
De his divitiis sibi deducant drachumam, reddant cetera.

5

14

Nemo me lacrimis decoret nec funera fletu
faxit. Cur? Volito vivus per ora virum.

C. LVCILIVS

15

Virtus, Albine, est, pretium persolvere verum
quis in versamur, quis vivimus rebus, potesse;
virtus est, homini scire id quod quaeque habeat res;
virtus, scire, homini rectum, utile quid sit, honestum,

quae bona, quae mala item, quid inutile, turpe, inhonestum; 5
 virtus, quaerendae finem re scire modumque;
 virtus, divitiis pretium persolvere posse;
 virtus, id dare, quod re ipsa debetur, honori;
 hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,
 contra defensorem hominum morumque bonorum, 10
 hos magni facere, his bene velle, his vivere amicum;
 commoda praeterea patriai prima putare,
 deinde parentum, tertia iam postremaque nostra.

M. TVLLIVS CICERO

16

Dic, hospes, Spartaee nos te hic vidisse iacentis,
 dum sanctis patriae legibus obsequimur.

T. LVCRETIVS CARVS

17

Aeneadum genetrix, hominum divumque voluptas,
 alma Venus, caeli subter labentia signa
 quae mare navigerum, quae terras frugiferentis
 concelebras, per te quoniam genus omne animantum
 concipitur visitque exortum lumina solis: 5
 te, dea, te fugiunt venti, te nubila caeli
 adventumque tuum, tibi suavis daedala tellus
 summittit flores, tibi rident aequora ponti
 placatumque nitet diffuso lumine caelum.
 Nam simul ac species patefacta est verna diei 10
 et reserata viget genitabilis aura Favoni,

aëriæ primum volucres te, diva, tuumque
 significant initum percussæ corda tua vi.
 Inde ferae pecudes persultant pabula laeta
 et rapidos tranant amnis: ita capta lepore 15
 te sequitur cupide quo quamque inducere pergis.
 Denique per maria ac montis fluviosque rapacis
 frondiferasque domos avium camposque virentis
 omnibus incutiens blandum per pectora amorem
 efficis ut cupide generatim saecula propagent. 20
 Quae quoniam rerum naturam sola gubernas
 nec sine te quidquam dias in luminis oras
 exoritur neque fit laetum neque amabile quidquam,
 te sociam studeo scribendis versibus esse
 quos ego de rerum natura pangere conor 25
 Memmiadae nostro, quem tu, dea, tempore in omni
 omnibus ornatum voluisti excellere rebus.
 Quo magis aeternum da dictis, diva, leporem.
 Effice ut interea fera moenera militiai
 per maria ac terras omnis sopita quiescant. 30

18

Humana ante oculos foede cum vita iaceret
 in terris oppressa gravi sub religione
 quae caput a caeli regionibus ostendebat
 horribili super aspectu mortalibus instans,
 primum Graius homo mortalis tollere contra 5
 est oculos ausus primusque obsistere contra,
 quem neque fama deum nec fulmina nec minitanti
 murmure compressit caelum, sed eo magis acrem
 irritat animi virtutem, effringere ut arcta
 naturae primus portarum claustra cupiret. 10
 Ergo vivida vis animi pervicit, et extra

processit longe flammantia moenia mundi
 atque omne immensum peragravit mente animoque,
 unde refert nobis victor quid possit oriri,
 quid nequeat, finita potestas denique cuique 15
 quam sit ratione atque alte terminus haerens.
 Quare religio pedibus subiecta vicissim
 obteritur, nos exaequat victoria caelo.

19

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen
 qui primus potuisti inlustrans commoda vitae,
 te sequor, o Graiae gentis decus, inque tuis nunc
 ficta pedum pono pressis vestigia signis,
 non ita certandi cupidus quam propter amorem 5
 quod te imitari aveo; quid enim contendat hirundo
 cyncis, aut quidnam tremulis facere artibus haedi
 consimile in cursu possint et fortis equi vis?
 Tu, pater, es rerum inventor, tu patria nobis
 suppeditas praecepta, tuisque ex, inclute, chartis, 10
 floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
 omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
 aurea, perpetua semper dignissima vita.
 Nam simul ac ratio tua coepit vociferari
 naturam rerum, divina mente coorta, 15
 diffugiunt animi terrores, moenia mundi
 discedunt, totum video per inane geri res.
 Apparet divum numen sedesque quietae
 quas neque concutiunt venti nec nubila nimbis
 aspergunt neque nix acri concreta pruina 20
 cana cadens violat semperque innubilus aether
 integit, et large diffuso lumine rident.
 Omnia suppeditat porro natura neque ulla

res animi pacem delibat tempore in ullo.
 At contra nusquam apparent Acherusia templa 25
 nec tellus obstat quin omnia dispiciantur,
 sub pedibus quaecumque infra per inane geruntur.
 His ibi me rebus quaedam divina voluptas
 percipit atque horror, quod sic natura tua vi
 tam manifesta patens ex omni parte relecta est. 30

20

'Iam iam non domus accipiet te laeta, neque uxor
 optima nec dulces occurrent oscula nati
 praeripere et tacita pectus dulcedine tangent.
 Non poteris factis florentibus esse, tuisque
 praesidium. Misero misere,' aiunt, 'omnia ademit 5
 una dies infesta tibi tot praemia vitae.'
 Illud in his rebus non addunt, 'Nec tibi earum
 iam desiderium rerum super insidet una.'
 Quod bene si videant animo dictisque sequantur,
 dissolvant animi magno se angore metuque. 10
 'Tu quidem ut es leto sopitus, sic eris aevi
 quod superest cunctis privatus doloribus aegris:
 at nos horrifico cinefactum te prope busto
 insatiabiliter deflevimus, aeternumque
 nulla dies nobis maerorem e pectore demet.' 15
 Illud ab hoc igitur quaerendum est, quid sit amari
 tanto opere, ad somnum si res redit atque quietem,
 cur quisquam aeterno possit tabescere luctu.

21

Denique si vocem rerum natura repente
 mittat et hoc alicui nostrum sic increpet ipsa
 'Quid tibi tanto opere est, mortalis, quod nimis aegris

luctibus indulges? Quid mortem congemis ac fles?
 Nam gratis anteacta fuit tibi vita priorque 5
 et non omnia pertusum congesta quasi in vas
 commoda perfluxere atque ingrata interiire:
 cur non ut plenus vitae conviva recedis
 aequo animoque capis securam, stulte, quietem?
 Sin ea quae fructus cumque es periere profusa 10
 vitaeque in offensu est, cur amplius addere quaeris,
 rursum quod pereat male et ingratum occidat omne,
 non potius vitae finem facis atque laboris?
 Nam tibi praeterea quod machiner inveniamque,
 quod placeat, nil est: eadem sunt omnia semper. 15
 Si tibi non annis corpus iam marcet et artus
 confecti languent, eadem tamen omnia restant,
 omnia si pergas vivendo vincere saecla,
 atque etiam potius, si numquam sis moriturus,
 quid respondemus, nisi iustam intendere litem 20
 naturam et veram verbis exponere causam?
 Grandior hic vero si iam seniorque queratur
 atque obitum lamentetur miser amplius aequo,
 non merito inclamet magis et voce increpet acri?
 'Aufer abhinc lacrimas, balatro, et compesce querellas. 25
 Omnia perfunctus vitai praemia marces.
 Sed quia semper aves quod abest, praesentia temnis,
 imperfecta tibi elapsa est ingrataque vita
 et nec opinanti mors ad caput adstitit ante
 quam satur ac plenus possis discedere rerum. 30
 Nunc aliena tua tamen aetate omnia mitte
 aequo animoque aegedum magnus concede: necesse est.'
 Iure, ut opinor, agat, iure increpet inciletque;
 cedit enim rerum novitate extrusa vetustas
 semper, et ex aliis aliud reparare necesse est; 35

nec quisquam in barathrum nec Tartara deditur atra:
 materies opus est ut crescant postera saecla;
 quae tamen omnia te vita perfuncta sequentur;
 nec minus ergo ante haec quam tu cecidere, cadentque.
 Sic alid ex alio numquam desistet oriri 40
 vitaeque mancipio nulli datur, omnibus usu.
 Respice item quam nil ad nos anteacta vetustas
 temporis aeterni fuerit, quam nascimur ante.
 Hoc igitur speculum nobis natura futuri
 temporis exponit post mortem denique nostram. 45
 Numquid ibi horribile apparet, num triste videtur
 quidquam, non omni somno securius exstat?

22

Nec nimio tum plus quam nunc mortalia saecla
 dulcia linquebant labentis lumina vitae.
 Vnus enim tum quisque magis deprensus eorum
 pabula viva feris praebibat, dentibus haustus,
 et nemora ac montis gemitu silvasque replebat 5
 viva videns vivo sepeliri viscera busto.
 At quos effugium servarat corpore adeso,
 posterius tremulas super ulcera taetra tenentes
 palmas horriferas accibant vocibus Orcum,
 donique eos vita privarant vermina saeva 10
 expertis opis, ignaros quid vulnera vellent.
 At non multa virum sub signis milia ducta
 una dies dabat exitio nec turbida ponti
 aequora fligebant navis ad saxa virosque.
 Hic temere in cassum frustra mare saepe coortum 15
 saevibat leviterque minas ponebat inanis,
 nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
 subdola pellicere in fraudem ridentibus undis,

improba naucleri ratio cum caeca iacebat.
 Tum penuria deinde cibi languentia leto
 membra dabat, contra nunc rerum copia mersat. 20
 Illi imprudentes ipsi sibi saepe venenum
 vergebant, nurui nunc dant sollertius ipsi.

C. VALERIVS CATVLLVS

23

Cui dono lepidum novum libellum
 arido modo pumice expolitur?
 Corneli, tibi: namque tu solebas
 meas esse aliquid putare nugas,
 iam tum cum ausus es unus Italorum 5
 omne aevum tribus explicare chartis,
 doctis, Iuppiter, et laboriosis.
 Quare habe tibi quidquid hoc libelli
 qualecumque; quod, o patrona virgo,
 plus uno maneat perenne saeclo. 10

24

Passer, deliciae meae puellae,
 quicum ludere, quem in sinu tenere,
 cui primum digitum dare appetenti
 et acris solet incitare morsus,
 cum desiderio meo nitenti 5
 carum nescio quid libet iocari
 (et solaciolum sui doloris,
 credo, ut tum gravis acquiescat ardor),
 tecum ludere sicut ipsa possem
 et tristis animi levare curas. 10

25

Lugete, o Veneres Cupidinesque
 et quantum est hominum venustiorum.
 Passer mortuus est meae puellae,
 passer, deliciae meae puellae,
 quem plus illa oculis suis amabat; 5
 nam mellitus erat, suamque norat
 ipsam tam bene quam puella matrem,
 nec sese a gremio illius movebat,
 sed circumsiliens modo huc modo illuc
 ad solam dominam usque pipilabat. 10
 Qui nunc it per iter tenebricosum
 illuc, unde negant redire quemquam.
 At vobis male sit, malae tenebrae
 Orci, quae omnia bella devoratis;
 tam bellum mihi passerem abstulistis. 15
 O factum male! io miselle passer!
 Tua nunc opera meae puellae
 flendo turgiduli rubent ocelli.

26

Phasellus ille, quem videtis, hospites,
 ait fuisse navium celerrimus,
 neque ullius natantis impetum trabis
 nequisse praeterire, sive palmulis
 opus foret volare sive linteo. 5
 Et hoc negat minacis Hadriatici
 negare litus insulasve Cycladas
 Rhodumque nobilem horridamque Thraciam
 Propontida trucemve Ponticum sinum,
 ubi iste post phasellus antea fuit 10

comata silva: nam Cytorio in iugo
 loquente saepe sibilum edidit coma.
 Amastri Pontica et Cytore buxifer,
 tibi haec fuisse et esse cognitissima
 ait phasellus: ultima ex origine 15
 tuo stetisse dicit in cacumine,
 tuo imbuisse palmulas in aequore,
 et inde tot per impotentia freta
 erum tulisse, laeva sive dextera
 vocaret aura, sive utrumque Iuppiter 20
 simul secundus incidisset in pedem.
 Neque ulla vota litoralibus diis
 sibi esse facta, cum veniret a mari
 novissimo hunc ad usque limpidum lacum.
 Sed haec prius fuere: nunc recondita 25
 senet quiete seque dedicat tibi,
 gemelle Castor et gemelle Castoris.

27

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,
 rumoresque senum severiorum
 omnis unius aestimemus assis.
 Soles occidere et redire possunt:
 nobis, cum semel occidit brevis lux, 5
 nox est perpetua una dormienda.
 Da mi basia mille, deinde centum,
 dein mille altera, dein secunda centum,
 deinde usque altera mille, deinde centum.
 Dein, cum milia multa fecerimus, 10
 conturbabimus illa, ne sciamus,
 aut ne quis malus invidere possit,
 cum tantum sciat esse basiorum.

28

Verani, omnibus e meis amicis
 antistans mihi milibus trecentis,
 venistine domum ad tuos Penatis
 fratresque unanimos anumque matrem?
 Venisti. O mihi nuntii beati! 5
 Visam te incolumem audiamque Hiberum
 narrantem loca, facta, nationes,
 ut mos est tuus, applicansque collum
 iucundum os oculosque saviabor.
 O quantum est hominum beatiorum, 10
 quid me laetius est beatiusve?

29

Marrucine Asini, manu sinistra
 non belle uteris in ioco atque vino:
 tollis lintea neglegentiorum.
 Hoc salsum esse putas? Fugit te, inepte:
 quamvis sordida res et invenusta est. 5
 Non credis mihi? Crede Pollioni
 fratri, qui tua furta vel talento
 mutari velit; est enim leporum
 disertus puer ac facetiarum.
 Quare aut hendecasyllabos trecentos 10
 exspecta, aut mihi linteum remitte,
 quod me non movet aestimatione,
 verum est mnemosynum mei sodalis.
 Nam sudaria Saetaba ex Hiberis
 miserunt mihi muneri Fabullus 15
 et Veranius: haec amem necesse est
 ut Veraniolum meum et Fabullum.

30

Cenabis bene, mi Fabulle, apud me
 paucis, si tibi di favent, diebus,
 si tecum attuleris bonam atque magnam
 cenam, non sine candida puella
 et vino et sale et omnibus cachinnis. 5
 Haec si, inquam, attuleris, venuste noster,
 cenabis bene; nam tui Catulli
 plenus sacculus est aranearum.
 Sed contra accipies meros amores
 seu quid suavius elegantiusve est: 10
 nam unguentum dabo, quod meae puellae
 donarunt Veneres Cupidinesque,
 quod tu cum olfacies, deos rogabis
 totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

31

Suffenus iste, Vare, quem probe nosti,
 homo est venustus et dicax et urbanus,
 idemque longe plurimos facit versus.
 Puto esse ego illi milia aut decem aut plura
 perscripta, nec sic, ut fit, in palimpsesto 5
 relata: chartae regiae, novi libri,
 novi umbilici, lora, rubra membrana,
 directa plumbo et pumice omnia aequata.
 Haec cum legas tu, bellus ille et urbanus
 Suffenus unus caprimulgus aut fossor 10
 rursus videtur: tantum abhorret ac mutat.
 Hoc quid putemus esse? Qui modo scurra
 aut si quid hac re tritius videbatur,
 idem infaceto est infacetior rure,
 simul poemata attigit, neque idem umquam 15

aeque est beatus ac poema cum scribit:
 tam gaudet in se tamque se ipse miratur.
 Nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam
 quem non in aliqua re videre Suffenum
 possis. Suus cuique attributus est error, 20
 sed non videmus manticae quod in tergo est.

32

Paene insularum, Sirmio, insularumque
 ocelle, quascumque in liquentibus stagnis
 marique vasto fert uterque Neptunus;
 quam te libenter quamque laetus in viso,
 vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos 5
 liquisse campos et videre te in tuto.
 O quid solutis est beatius curis,
 cum mens onus reponit, ac peregrino
 labore fessi venimus Larem ad nostrum
 desideratoque acquiescimus lecto? 10
 Hoc est quod unum est pro laboribus tantis.
 Salve, o venusta Sirmio, atque ero gaude;
 gaudete vosque, o Lydiae lacus undae;
 ridete, quidquid est domi cachinnorum.

33

Dianae sumus in fide
 puellae et pueri integri;
 Dianam pueri integri
 puellaeque canamus.

O Latonia, maximi 5
 magna progenies Iovis,
 quam mater prope Deliam
 deposivit olivam,

montium domina ut fores
silvarumque virentium 10
saltuumque reconditorum
anniumque sonantum.

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis,
tu potens Trivia et notho es 15
dicta lumine Luna.

Tu cursu, dea, menstruo
metiens iter annum
rustica agricolae bonis
tecta frugibus explēs. 20

Sis quocumque tibi placet
sancta nomine, Romulique,
antique ut solita es, bona
sospites ope gentem.

34

Acmen Septimius suos amores
tenens in gremio, 'Mea,' inquit, 'Acme,
ni te perditē amo atque amare porro
omnis sum adsidue paratus annos
quantum qui pote plurimum perire, 5
solus in Libya Indiaque tosta
caesio veniam obuius leoni.'

Hoc ut dixit, Amor, sinistra ut ante,
dextra sternuit approbationem.
At Acme leviter caput reflectens 10
et dulcis pueri ebrios ocellos
illo purpureo ore saviata,

'Sic,' inquit, 'mea vita, Septimille,
 huic uni domino usque serviamus,
 ut multo mihi maior acriorque 15
 ignis mollibus ardet in medullis.'
 Hoc ut dixit, Amor, sinistra ut ante,
 dextra sternuit approbationem.
 Nunc ab auspicio bono profecti
 mutuis animis amant amantur. 20
 Vnam Septimius misellus Acmen
 mavult quam Syrias Britanniasque:
 uno in Septimio fidelis Acme
 facit delicias libidinesque.
 Quis ullos homines beatiore 25
 vidit, quis Venerem auspiciorem?

35

Iam ver egelidos refert tepores,
 iam caeli furor aequinoctialis
 iucundis Zephyri silescit auris.
 Linquntur Phrygii, Catulle, campi
 Nicaeaeque ager uber aestuosae: 5
 ad claras Asiae volumus urbis.
 Iam mens praetrepidans avet vagari,
 iam laeti studio pedes vigescunt.
 O dulces comitum valete coetus,
 longe quos simul a domo profectos 10
 diversae variae viae reportant.

36

Disertissime Romuli nepotum,
 quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,
 quotque post aliis erunt in annis,

gratias tibi maximas Catullus
agit pessimus omnium poeta, 5
tanto pessimus omnium poeta
quanto tu optimus omnium patronus.

37

Ille mi par esse deo videtur,
ille, si fas est, superare divos,
qui sedens adversus identidem te
spectat et audit
dulce ridentem, misero quod omnis 5
eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi
vocis in ore;

lingua sed torpet, tenuis sub artus
flamma demanat, sonitu suopte 10
tintinant aures, gemina teguntur
lumina nocte.

38

Risi nescio quem modo e corona,
qui, cum mirifice Vatiniana
meus crimina Calvus explicasset,
admirans ait haec manusque tollens,
'Di magni, salapatium disertum!' 5

39

Vesper adest, iuvenes, consurgite: Vesper Olympo
exspectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere iam tempus, iam pinguis linquere mensas;

iam veniet virgo, iam dicetur hymenaeus.

Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae.

5

Cernitis, innuptae, iuvenes? Consurgite contra;
nimirum Oetaeos ostendit Noctifer ignis.

Sic certe est: viden ut pernicious exsiluere?

Non temere exsiluere; canent quod vincere par est.

Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae.

10

Non facilis nobis, aequales, palma parata est:
aspicite, innuptae secum ut meditata requirunt.

Non frustra meditantur; habent memorabile quod sit.

Nec mirum, penitus quae tota mente laborant.

Nos alio mentis, alio divisimus auris:

15

iure igitur vincemur; amat victoria curam.

Quare nunc animos saltem convertite vestros:

dicere iam incipient, iam respondere decebit.

Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae.

Hesperie, qui caelo fertur crudelior ignis?

20

Qui natam possis complexu avellere matris,

complexu matris retinentem avellere natam

et iuveni ardenti castam donare puellam.

Quid faciunt hostes capta crudelius urbe?

Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae.

25

Hesperie, qui caelo lucet iucundior ignis?

Qui desponsa tua firmes conubia flamma,

quae pepigere viri, pepigerunt ante parentes,

nec iunxere prius quam se tuus extulit ardor.

Quid datur a divis felici optatius hora?

30

Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae.

Hesperus e nobis, aequales, abstulit unam

* * * * *

Namque tuo adventu vigilat custodia semper.
Nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
Hespere, mutato comprehendis nomine Eous. 35
At libet in nuptis ficto te carpere questu.
Quid tum, si carpunt, tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae.

Vt flos in saeptis secretus nascitur hortis,
ignotus pecori, nullo convulsus aratro, 40
quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber;
multi illum pueri, multae optavere puellae:
idem cum tenui carptus defloruit ungui,
nulli illum pueri, nullae optavere puellae:
sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis est; 45
cum castum amisit polluto corpore florem,
nec pueris iucunda manet nec cara puellis.
Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae.

Vt vidua in nudo vitis quae nascitur arvo
numquam se extollit, numquam mitem educat uvam, 50
sed tenerum prono deflectens pondere corpus
iam iam contingit summum radice flagellum,
hanc nulli agricolae, nulli coluere iuveni:
at si forte eadem est ulmo coniuncta marito,
multi illam agricolae, multi coluere iuveni: 55
sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit;
cum par conubium maturo tempore adeptam est,
cara viro magis et minus est invisam parenti.

Et tu ne pugna cum tali coniuge, virgo.
Non aequum est pugnare, pater cui tradidit ipse, 60
ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est:

tertia pars patri, pars est data tertia matri,
 tertia sola tua est. Noli pugnare duobus,
 qui genero sua iura simul cum dote dederunt.
 Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae.

65

40

Nulli se dicit mulier mea nubere malle
 quam mihi, non si se Iuppiter ipse petat.
 Dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti
 in vento et rapida scribere oportet aqua.

41

Si qua recordanti benefacta priora voluptas
 est homini, cum se cogitat esse pium,
 nec sanctam violasse fidem, nec foedere in ullo
 divum ad fallendos numine abusum homines,
 multa parata manent in longa aetate, Catulle,
 ex hoc ingrato gaudia amore tibi.

5

Nam quaecumque homines bene cuiquam aut dicere
 possunt

aut facere, haec a te dictaque factaque sunt.

Omnia quae ingratae perierunt credita menti.

Quare iam te cur amplius excrucies?

10

Quin tu animo offirmas atque istinc teque reducis
 et dis invitis desinis esse miser?

Difficile est longum subito deponere amorem.

Difficile est, verum hoc qua libet efficias.

Vna salus haec est, hoc est tibi pervincendum;
 hoc facias, sive id non pote sive pote.

15

O di, si vestrum est misereri, aut si quibus umquam
 extremam iam ipsa in morte tulistis opem,
 me miserum aspiciate et, si vitam puriter egi,

eripite hanc pestem perniciemque mihi. 20
 Hei mihi surrepens imos ut torpor in artus
 expulit ex omni pectore laetitias.
 Non iam illud quaero, contra ut me diligat illa,
 aut, quod non potis est, esse pudica velit:
 ipse valere opto et taetrum hunc deponere morbum. 25
 O di, reddite mi hoc pro pietate mea.

42

Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum
 aut aliud si quid carius est oculis,
 eripere ei noli, multo quod carius illi
 est oculis seu quid carius est oculis.

43

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
 dicere, et insidias Arrius hinsidias,
 et tum mirifice sperabat se esse locutum,
 cum quantum poterat dixerat hinsidias.
 Credo, sic mater, sic liber avunculus eius, 5
 sic maternus avus dixerat atque avia.
 Hoc misso in Syriam requierant omnibus aures:
 audibant eadem haec leniter et leviter,
 nec sibi postilla metuebant talia verba,
 cum subito adfertur nuntius horribilis 10
 Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
 iam non Ionios esse, sed Hionios.

44

Odi et amo. Quare id faciam fortasse requiris.
 Nescio, sed fieri sentio et excrucior.

45

Quintia formosa est multis, mihi candida, longa,
 recta est. Haec ego sic singula confiteor,
 totum illud 'formosa' nego: nam nulla venustas,
 nulla in tam magno est corpore mica salis.
 Lesbia formosa est, quae cum pulcherrima tota est,
 tum omnibus una omnis surripuit Veneres.

5

46

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
 vere, quantum a me Lesbia amata mea es.
 Nulla fides ullo fuit umquam in foedere tanta,
 quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.

47

Nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere,
 nec scire utrum sis albus an ater homo.

48

Multas per gentis et multa per aequora vectus
 advenio has miseram, frater, ad inferias,
 ut te postremo donarem munere mortis
 et mutam nequiquam adloquerer cinerem,
 quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
 heu miser indigne frater adempte mihi.
 Nunc tamen interea haec, prisco quae more parentum
 tradita sunt tristi munere ad inferias,
 accipe fraterno multum manantia fletu,
 atque in perpetuum, frater, ave atque vale.

5

10

49

Iucundum, mea vita, mihi proponis amorem
 hunc nostrum inter nos perpetuumque fore.
 Di magni, facite ut vere promittere possit,
 atque id sincere dicat et ex animo,
 ut liceat nobis tota perducere vita 5
 aeternum hoc sanctae foedus amicitiae.

P. VERGILIUS MARO

50

Copa Surisca caput Graeca redimita mitella,
 crispum sub crotalo docta movere latus,
 ebria famosa saltat lasciva taberna
 ad cubitum raucos excutiens calamos.
 'Quid iuvat aestivo defessum pulvere abesse, 5
 quam potius bibulo decubuisse toro?
 Sunt topia et kelebes, cyathi, rosa, tibia, chordae,
 et triclia umbrosis frigida harundinibus.
 En et, Maenalia quae garrit dulce sub antro,
 rustica pastoris fistula more sonat. 10
 Est et vappa cado nuper defusa picato
 et strepitans rauco murmure rivus aquae.
 Sunt etiam croceo violae de flore corollae,
 sartaque purpurea lutea mixta rosa,
 et quae virgineo libata Achelois ab amne 15
 lilia vimineis attulit in calathis;
 sunt et caseoli quos iuncea fiscina siccant;
 sunt autumnali cerea pruna die;
 castaneaeque nuces et suave rubentia mala,
 est hic munda Ceres, est Amor, est Bromius; 20

- sunt et mora cruenta et lentis uva racemis,
 et pendet iunco caeruleus cucumis;
 est tuguri custos armatus falce saligna,
 sed non et vasto est inguine terribilis.
- Huc Calybita veni, lassus iam sudat asellus; 25
 parce illi, Vestae delictum est asinus.
- Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadae,
 nunc vepris in gelida sede lacerta latet.
- Si sapis, aestivo recubans te prolue vitro,
 seu vis crystalli ferre novos calices. 30
- Heia age pampinea fessus requiesce sub umbra
 et gravidum roseo necte caput strophio,
 formosum tenerae decerpens ora puellae.
- A pereat cui sunt prisca supercilia!
 Quid cineri ingrato servas bene olentia sarta? 35
 Anne coronato vis lapide ista 'tegi?
- Pone merum et talos. Pereat qui crastina curat;
 mors aurem vellens, "Vivite," ait, "venio."

51

- Hunc ego, o iuvenes, locum villulamque palustrem,
 tectam vimine iunceo caricisque manipulis,
 quercus arida rustica fomitata securi,
 nutritor, magis ut magis sit beata quotannis.
- Huius nam domini colunt me deumque salutant 5
 pauperis tuguri pater filiusque adulescens,
 alter adsidua colens diligentia ut herbae,
 aspera ut rubus a meo sit remota sacello,
 alter parva manu ferens semper munera larga.
- Florido mihi ponitur picta vere corolla, 10
 primitus tenera virens spica mollis arista,
 luteae violae mihi lacteumque papaver,

pallentesque cucurbitae et suave olentia mala,
 uva pampinea rubens educata sub umbra.
 Sanguine hanc etiam mihi—sed tacebitis—aram 15
 barbatus linit hirculus cornipesque capella.
 Pro quis munera honoribus sic necesse Priapo est
 praestare et domini hortulum vineamque tueri.
 Quare hinc, o pueri, malas abstinete rapinas.
 Vicinus prope dives est neglegensque Priapus. 20
 Inde sumite, semita haec deinde vos feret ipsa.

52

Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae,
 tangere quas terras quosque videre homines,
 dispeream, si te fuerit mihi carior alter.
 Alter enim quis te dulcior esse potest,
 cui iuveni ante alios divi divumque sorores 5
 cuncta, neque indigno, Musa, dedere bona,
 cuncta, quibus gaudet Phoebi chorus ipseque Phoebus?
 Doctior o quis te, Musa, fuisse potest?
 O quis te in terris loquitur iucundior uno?
 Clio nam certe candida non loquitur. 10
 Quare illud satis est, si te permittis amari;
 nam contra ut sit amor mutuus, unde mihi?

53

Sabinus ille, quem videtis, hospites,
 ait fuisse mulio celerrimus,
 neque ullius volantis impetum cisi
 nequisse praeterire, sive Mantuam
 opus foret volare sive Brixiam. 5
 Et hoc negat Tryphonis aemuli domum
 negare nobilem insulamve Caeruli,
 ubi iste post Sabinus ante Quintio

bidente dicit attodisse forcipe comata colla, ne Cytorio iugo premente dura vulnus ederet iuba.	10
Cremona frigida et lutosa Gallia, tibi haec fuisse et esse cognitissima ait Sabinus: ultima ex origine tua stetisse dicit in voragine,	15
tua in palude deposisse sarcinas, et inde tot per orbitosa milia iugum tulisse, laeva sive dextera strigare mula sive utrumque coeperat	
* * * * *	20
neque ulla vota semitalibus deis sibi esse facta, praeter hoc novissimum, paterna lora proximumque pectinem. Sed haec prius fuere: nunc eburnea sedetque sede seque dedicat tibi,	25
gemelle Castor et gemelle Castoris.	

54

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus, o Paphon, o sedes quae colis Idalias, Troius Aeneas Romana per oppida digno iam tandem ut tecum carmine vectus eat:	
non ego ture modo aut picta tua templa tabella ornabo et puris sarta feram manibus;	5
corniger hos aries humilis, sed maxima, taurus, victima sacratos sparget honore focos, marmoreusque tibi caput, ignicolorius alas, in morem picta stabit Amor pharetra.	10
Adsis, o Cytherea: tuus te Caesar Olympo et Surrentini litoris ara vocat.	

55

MELIBOEVS

TITYRVS

- M.* Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
silvestrem tenui musam meditaris avena:
nos patriae finis et dulcia linquimus arva.
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra
formosam resonare doces Amaryllida silvas. 5
- T.* O Meliboe, deus nobis haec otia fecit;
namque erit ille mihi semper deus, illius aram
saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
ludere quae vellem calamo permisit agresti. 10
- M.* Non equidem invideo, miror magis: undique totis
usque adeo turbatur agris. En ipse capellas
protinus aeger ago: hanc etiam vix, Tityre, duco.
Hic inter densas corylos modo namque gemellos,
spem gregis, a, silice in nuda conixa reliquit. 15
Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
de caelo tactas memini praedicere quercus.
Sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.
- T.* Urbem quam dicunt Romam, Meliboe, putavi
stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus 20
pastores ovium teneros depellere fetus.
Sic canibus catulos similis, sic matribus haedos
noram, sic parvis componere magna solebam.
Verum haec tantum alias inter caput extulit urbis,
quantum lenta solent inter viburna cupressi. 25

56

Sicelides Musae, paulo maiora canamus!
Non omnis arbusta iuvant humilesque myricae;
si canimus silvas, silvae sint consule dignae.

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas;
 magnus ab integro saeculorum nascitur ordo. 5
 Iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna;
 iam nova progenies caelo demittitur alto.
 Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
 desinet ac toto surget gens aurea mundo,
 casta fave Lucina: tuus iam regnat Apollo. 10
 Teque adeo decus hoc aevi, te consule, inibit,
 Pollio, et incipient magni procedere menses;
 te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
 inrita perpetua solvent formidine terras.
 Ille deum vitam accipiet divisque videbit 15
 permixtos heroas, et ipse videbitur illis,
 pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
 At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
 errantis hederas passim cum baccare tellus
 mixtaque ridenti colocasia fundet acantho. 20
 Ipsae lacte domum referent distenta capellae
 ubera, nec magnos metuent armenta leones;
 ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
 Occidet et serpens, et fallax herba veneni
 occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum. 25
 At simul heroum laudes et facta parentis
 iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus,
 molli paulatim flavescet campus arista,
 incultisque rubens pendebit sentibus uva,
 et durae quercus sudabunt roscida mella. 30
 Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
 quae temptare Thetim ratibus, quae cingere muris
 oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
 Alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo

delectos heroas; erunt etiam altera bella, 35
atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
Hinc, ubi iam firmata virum te fecerit aetas,
cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus
mutabit mercis: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem; 40
robustus quoque iam tauris iuga solvet arator;
nec varios discet mentiri lana colores,
ipse sed in pratis aries iam suave rubenti
murice, iam croceo mutabit vellera luto;
sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos. 45
'Talia saecula,' suis dixerunt, 'currite,' fuis
concordes stabili fatorum numine Parcae.
Adgredere o magnos (aderit iam tempus) honores,
cara deum suboles, magnum Iovis incrementum.
Aspice convexo nutantem pondere mundum, 50
terrasque tractusque maris caelumque profundum:
aspice, venturo laetentur ut omnia saeclo!
O mihi tum longae maneat pars ultima vitae,
spiritus et quantum sat erit tua dicere facta:
non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus, 55
nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater
adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem: 60
matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe, parve puer: cui non risere parentes,
nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

57

MENALCAS

MOPSVS

- Me.* Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
tu calamos inflare levis, ego dicere versus,
hic corylis mixtas inter consedimus ulmos?
- Mo.* Tu maior; tibi me est aequum parere, Menalca,
sive sub incertas Zephyris motantibus umbras, 5
sive antro potius succedimus. Aspice, ut antrum
silvestris raris sparsit labrusca racemis.
- Me.* Montibus in nostris solus tibi certat Amyntas.
- Mo.* Quid, si idem certet Phoebum superare canendo?
- Me.* Incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignis 10
aut Alconis habes laudes aut iurgia Codri.
Incipe; pascentis servabit Tityrus haedos.
- Mo.* Immo haec, in viridi nuper quae cortice fagi
carmina descripsi et modulans alterna notavi,
experiar. Tu deinde iubeto ut certet Amyntas. 15
- Me.* Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
puniceis humilis quantum saliuunca rosetis,
iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.
Sed tu desine plura, puer; successimus antro.
- Mo.* Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnim 20
flebant (vos coryli testes et flumina Nymphis),
cum complexa sui corpus miserabile nati,
atque deos atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egere diebus
frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque
amnem 25
- libavit quadripes, nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Poenos etiam gemuisse leones
interitum montesque feri silvaeque loquuntur.
Daphnis et Armenias curru subiungere tigris

instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi 30
 et foliis lentas intexere mollibus hastas.
 Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
 ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis,
 tu decus omne tuis. Postquam te fata tulerunt,
 ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo. 35
 Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
 infelix lolium et steriles nascuntur avenae;
 pro molli viola, pro purpureo narcisso
 carduus et spinis surgit paliurus acutis.
 Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras, 40
 pastores (mandat fieri sibi talia Daphnis),
 et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:
 'Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus,
 formosi pecoris custos, formosior ipse.'

58

DAMON

ALPHESIBOEVS

- D. Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer, almum,
 coniugis indigno Nysae deceptus amore
 dum queror et divos, quamquam nil testibus illis
 profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.
 Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus. 5
 Maenalus argutumque nemus pinosque loquentis
 semper habet; semper pastorum ille audit amores
 Panaque, qui primus calamos non passus inertis.
 Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
 Mopso Nysa datur: quid non speremus amantes? 10
 Iungentur iam grypes equis, aevoque sequenti
 cum canibus timidi venient ad pocula dammae.
 Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.

Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor.
 Sparge, marite, nuces: tibi deserit Hesperus Oetam. 15
 Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.

O digno coniuncta viro, dum despicias omnis,
 dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellae
 hirsutumque supercilium promissaque barba,
 nec curare deum credis mortalia quemquam— 20
 Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.

Saepibus in nostris parvam te roscida mala
 (dux ego vester eram) vidi cum matre legentem.
 Alter ab undecimo tum me iam acceperat annus;
 iam fragilis poteram a terra contingere ramos: 25
 ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!
 Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.

Nunc scio quid sit Amor: duris in cotibus illum
 aut Tmaros aut Rhodope aut extremi Garamantes
 nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt. 30
 Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.

Saevus Amor docuit natorum sanguine matrem
 commaculare manus; crudelis tu quoque, mater:
 crudelis mater magis, an puer improbus ille?
 Improbus ille puer; crudelis tu quoque, mater. 35
 Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.

Nunc et ovis ultro fugiat lupus, aurea durae
 mala ferant quercus, narcisso floreat alnus,
 pingua corticibus sudent electra myricae,
 certent et cycnis ululae, sit Tityrus Orpheus, 40
 Orpheus in silvis, inter delphinas Arion.
 Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.

Omnia vel medium fiat mare. Vivite, silvae:
 praeceps aërii specula de montis in undas
 deferar; extremum hoc munus morientis habeto. 45

Desine Maenalios, iam desine, tibia, versus.

Haec Damon: vos, quae responderit Alpheisiboeus,
 dicite, Pierides; non omnia possumus omnes.

A. Effer aquam, et molli cinge haec altaria vitta,
 verbenasque adole pinguis et mascula tura, 50
 coniugis ut magicis sanos avertere sacris
 experiar sensus; nihil hic nisi carmina desunt.

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite
 Daphnim.

Carmina vel caelo possunt deducere Lunam;
 carminibus Circe socios mutavit Vlixii; 55
 frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite
 Daphnim.

Terna tibi haec primum triplici diversa colore
 licia circumdo, terque haec altaria circum
 effigiem duco; numero deus impare gaudet. 60

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite
 Daphnim.

Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores;
 necte, Amarylli, modo et, 'Veneris,' dic, 'vincula
 necto.'

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite
 Daphnim.

Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit 65
 uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.

Sparge molam et fragilis incende bitumine lauros.
Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide
laurum.

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite
Daphnim.

Talis amor Daphnim, qualis cum fessa iuvenum 70
per nemora atque altos quaerendo bucula lucos
propter aquae rivum viridi procumbit in ulva
perdita, nec serae meminit decedere nocti;
talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite
Daphnim. 75

Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
pignora cara sui: quae nunc ego limine in ipso,
terra, tibi mando; debent haec pignora Daphnim.

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite
Daphnim.

Has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena 80
ipse dedit Moeris (nascuntur plurima Ponto);
his ego saepe lupum fieri et se condere silvis
Moerim, saepe animas imis excire sepulcris,
atque satas alio vidi traducere messis.

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite
Daphnim. 85

Fer cineres, Amarylli, foras rivoque fluenti
transque caput iace, nec respexeris. His ego
Daphnim

adgrediar; nihil ille deos, nil carmina curat.

Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite
Daphnim.

Aspice: corripuit tremulis altaria flammis 90
 sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Bonum
 sit!

Nescio quid certe est, et Hylax in limine latrat.
 Credimus? An qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
 Parcite, ab urbe venit, iam parcite, carmina,
 Daphnis.

59

Sed neque Medorum silvae, ditissima terra,
 nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus
 laudibus Italiae certent, non Bactra neque Indi
 totaque turiferis Panchaia pinguis harenis.
 Haec loca non tauri spirantes naribus ignem 5
 invertere satis immanis dentibus hydri,
 nec galeis densusque virum seges horruit hastis;
 sed gravidae fruges et Bacchi Massicus umor
 implevere; tenent oleae armentaque laeta.
 Hinc bellator equus campo sese arduus infert, 10
 hinc albi, Clitumne, greges et maxima taurus
 victima, saepe tuo perfusi flumine sacro,
 Romanos ad templa deum duxere triumphos.
 Hic ver adsiduum atque alienis mensibus aestas:
 bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbos. 15
 At rabidae tigres absunt et saeva leonum
 semina, nec miseros fallunt aconita legentis,
 nec rapit immensos orbis per humum neque tanto
 squameus in spiram tractu se colligit anguis.
 Adde tot egregias urbis operumque laborem, 20
 tot congesta manu praeruptis oppida saxis
 fluminaque antiquos subterlabentia muros.
 An mare quod supra memorem, quodque adluit infra?

Anne lacus tantos? Te, Lari maxime, teque,
 fluctibus et fremitu adsurgens Benace marino? 25
 An memorem portus Lucrinoque addita claustra
 atque indignatum magnis stridoribus aequor,
 Iulia qua ponto longe sonat unda refuso
 Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis?
 Haec eadem argenti rivos aerisque metalla 30
 ostendit venis atque auro plurima fluxit.
 Haec genus acre virum, Marsos pubemque Sabellam
 adsuetumque malo Ligurem Volcosque verutos
 extulit, haec Decios Marios magnosque Camillos,
 Scipiadas duros bello et te, maxime Caesar, 35
 qui nunc extremis Asiae iam victor in oris
 imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
 Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,
 magna virum: tibi res antiquae laudis et artis
 ingredior sanctos ausus recludere fontis, 40
 Ascraeumque cano Romana per oppida carmen.

60

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
 agricolas! Quibus ipsa procul discordibus armis
 fundit humo facilem victum iustissima tellus;
 si non ingentem foribus domus alta superbis
 mane salutantum totis vomit aedibus undam, 5
 nec varios inhiant pulchra testudine postis
 inlusasque auro vestis Ephyreïaque aera,
 alba neque Assyrio fucatur lana veneno,
 nec casia liquidi corrumpitur usus olivi;
 at secura quies et nescia fallere vita, 10
 dives opum variarum, at latis otia fundis
 (speluncae vivique lacus et frigida Tempe

mugitusque boum mollesque sub arbore somni)
 non absunt; illic saltus ac lustra ferarum,
 et patiens operum exiguoque adsueta iuventus, 15
 sacra deum sanctique patres; extrema per illos
 Iustitia excedens terris vestigia fecit.

Me vero primum dulces ante omnia Musae,
 quarum sacra fero ingenti percussus amore,
 accipiant caelique vias et sidera monstrent, 20
 defectus solis varios lunaeque labores;
 unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant
 obicibus ruptis rursusque in se ipsa residant,
 quid tantum Oceano properent se tingere soles
 hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstet. 25
 Sin has ne possim naturae accedere partis
 frigidus obstiterit circum praecordia sanguis,
 rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes,
 flumina amem silvasque inglorius. O ubi campi
 Spercheusque et virginibus bacchata Lacaenis 30
 Taygeta! O qui me gelidis convallibus Haemi
 sistat, et ingenti ramorum protegat umbra!
 Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,
 atque metus omnis et inexorabile fatum
 subiecit pedibus strepitumque Acherontis avari. 35
 Fortunatus et ille deos qui novit agrestis
 Panaque Silvanumque senem Nymphasque sorores.
 Illum non populi fascēs, non purpura regum
 flexit et infidos agitans discordia fratres,
 aut coniurato descendens Dacus ab Histro, 40
 non res Romanae perituraque regna; neque ille
 aut doluit miserans inopem aut invidit habenti.
 Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
 sponte tulere sua, carpsit, nec ferrea iura

insanumque forum aut populi tabularia vidit. 45
 Sollicitant alii remis freta caeca, ruuntque
 in ferrum, penetrant aulas et limina regum;
 hic petit excidiis urbem miserisque Penatis,
 ut gemma bibat et Sarrano dormiat ostro;
 condit opes alius defossoque incubat auro; 50
 hic stupet attonitus rostris, hunc plausus hiantem
 per cuneos geminatus enim plebisque patrumque
 corripuit; gaudent perfusi sanguine fratrum,
 exsilioque domos et dulcia limina mutant
 atque alio patriam quaerunt sub sole iacentem. 55
 Agricola incurvo terram dimovit aratro:
 hinc anni labor, hinc patriam parvosque nepotes
 sustinet, hinc armenta boum meritosque iuencos.

Q. HORATIVVS FLACCVS

61

Maecenas atavis edite regibus,
 o et praesidium et dulce decus meum,
 sunt quos curriculo pulverem Olympicum
 collegisse iuvat, metaque fervidis
 evitata rotis, palmaque nobilis 5
 terrarum dominos evehit ad deos;
 hunc, si mobilium turba Quiritium
 certat tergeminis tollere honoribus;
 illum, si proprio condidit horreo
 quidquid de Libycis verritur areis. 10
 Gaudentem patrios findere sarculo
 agros Attalicis condicionibus
 numquam demoveas, ut trabe Cypria
 Myrtoum pavidus nauta secet mare.

Luctantem Icariis fluctibus Africum mercator metuens otium et oppidi laudat rura sui: mox reficit ratis quassas, indocilis pauperiem pati. Est qui nec veteris pocula Massici nec partem solido demere de die	15
spernit, nunc viridi membra sub arbuto stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae. Multos castra iuvant et lituo tubae permixtus sonitus bellaque matribus detestata. Manet sub Iove frigido	20
venator tenerae coniugis immemor, seu visa est catulis cerva fidelibus, seu rupit teretis Marsus aper plagas. Me doctarum hederæ præmia frontium dis miscent superis; me gelidum nemos	25
Nympharumque leves cum Satyris chori secernunt populo, si neque tibus Euterpe cohibet nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton.	30
Quod si me lyricis vatibus inseres, sublimi feriam sidera vertice.	35

62

Sic te diva potens Cypri, sic fratres Helenæ, lucida sidera, ventorumque regat pater, obstrictis aliis præter Iapyga, navis, quæ tibi creditum	5
debes Vergilium, finibus Atticis reddas incolumem precor, et serves animæ dimidium meæ.	

63

Quis multa gracilis te puer in rosa
 perfusus liquidis urget odoribus
 grato, Pyrrha, sub antro?

Cui flavam religas comam,

simplex munditiis? Heu quotiens fidem 5
 mutatosque deos flebit, et aspera
 nigris aequora ventis
 emirabitur insolens,

qui nunc te fruitur credulus aurea,
 qui semper vacuum, semper amabilem 10
 sperat, nescius aurae
 fallacis. Miseri quibus

intemptata nites: me tabula sacer
 votiva paries indicat uvida
 suspendisse potenti 15
 vestimenta maris deo.

64

Lydia, dic, per omnis
 te deos oro, Sybarin cur properes amando
 perdere, cur apricum
 oderit campum, patiens pulveris atque solis.
 Cur neque militaris 5
 inter aequalis equitat, Gallica nec lupatis
 temperat ora frenis?
 Cur timet flavum Tiberim tangere? Cur olivum
 sanguine viperino
 cautius vitat, neque iam livida gestat armis 10

bracchia, saepe disco,
 saepe trans finem iaculo nobilis expedito?
 Quid latet, ut marinae
 filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae
 funera, ne virilis 15
 cultus in caedem et Lycias proriperet catervas?

65

Vides ut alta stet nive candidum
 Soracte, nec iam sustineant onus
 silvae laborantes, geluque
 flumina constiterint acuto.

Dissolve frigus ligna super foco 5
 large reponens, atque benignius
 deprome quadrimum Sabina,
 o Thaliarche, merum diota.

Permite divis cetera, qui simul 10
 stravere ventos aequore fervido
 deproeliantis, nec cupressi
 nec veteres agitantur orni.

Quid sit futurum cras, fuge quaerere, et
 quem fors dierum cumque dabit lucro 15
 appone, nec dulcis amores
 sperne puer neque tu choreas,

donec virenti canities abest
 morosa. Nunc et campus et areae
 lenesque sub noctem susurri
 composita repetantur hora: 20

nunc et latentis proditor intimo
 gratus puellae risus ab angulo
 pignusque dereptum lacertis
 aut digito male pertinaci.

66

Tu ne quaesieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi
 finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios
 temptaris numeros. Vt melius, quidquid erit, pati,
 seu pluris hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,
 quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
 Tyrrhenum! Sapias, vina liques, et spatio brevi
 spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
 aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.

5

67

O navis, referent in mare te novi
 fluctus. O quid agis? Fortiter occupa
 portum. Nonne vides ut
 nudum remigio latus,

et malus celeri saucius Africo
 antemnaeque gemant, ac sine funibus
 vix durare carinae
 possint imperiosius

5

aequor? Non tibi sunt integra lintea,
 non di, quos iterum pressa voces malo.
 Quamvis Pontica pinus,
 silvae filia nobilis,

10

iactes et genus et nomen inutile,
 nil pictis timidus navita puppibus
 fidit. Tu nisi ventis 15
 debes ludibrium, cave.

Nuper sollicitum quae mihi taedium,
 nunc desiderium curaque non levis,
 interfusa nitentis
 vites aequora Cycladas. 20

68

Integer vitae scelerisque purus
 non eget Mauris iaculis neque arcu
 nec venenatis gravida sagittis,
 Fusce, pharetra,
 sive per Syrtis iter aestuosas 5
 sive facturus per inhospitalem
 Caucasum vel quae loca fabulosus
 lambit Hydaspes.

Namque me silva lupus in Sabina,
 dum meam canto Lalagen et ultra 10
 terminum curis vagor expeditis,
 fugit inermem,

quale portentum neque militaris
 Daunias latis alit aesculetis,
 nec Iubae tellus generat, leonum 15
 arida nutrix.

Pone me pigris ubi nulla campis
 arbor aestiva recreatur aura,
 quod latus mundi nebulae malusque
 Iuppiter urget; 20

pone sub curru nimium propinqui
solis, in terra domibus negata:
dulce ridentem Lalagen amabo,
dulce loquentem.

69

Persicos odi, puer, apparatus:
displicent nexae philyra coronae:
mitte sectari rosa quo locorum
sera moretur.

Simplici myrto nihil adlabores
sedulus curo: neque te ministrum
dedecet myrtus neque me sub arta
vite bibentem.

5

70

Aequam memento rebus in arduis
servare mentem, non secus in bonis
ab insolenti temperatam
laetitia, moriture Delli,

seu maestus omni tempore vixeris,
seu te in remoto gramine per dies
festos reclinatum bearis
interiore nota Falerni.

5

Quo pinus ingens albaque populus
umbram hospitem consociare amant
ramis? Quid obliquo laborat
lympha fugax trepidare rivo?

10

Huc vina et unguenta et nimium brevis
 flores amoenae ferre iube rosae,
 dum res et aetas et sororum
 fila trium patiuntur atra. 15

Cedes coemptis saltibus et domo
 villaque, flavus quam Tiberis lavit;
 cedes et exstructis in altum
 divitiis potietur heres. 20

Divesne prisco natus ab Inacho,
 nil interest, an pauper et infima
 de gente sub divo moreris,
 victima nil miserantis Orci.

Omnes eodem cogimur, omnium
 versatur urna serius ocius
 sors exitura et nos in aeternum
 exsilium impositura cumbae. 25

71

Rectius vives, Licini, neque altum
 semper urgendo neque, dum procellas
 cautus horrescis, nimium premendo
 litus iniquum.

Auream quisquis mediocritatem
 diligit, tutus caret obsoleti
 sordibus tecti, caret invidenda
 sobrius aula. 5

Saepius ventis agitur ingens
 pinus et celsae graviore casu
 decidunt tures feriuntque summos
 fulgura montis. 10

Sperat infestis, metuit secundis
alteram sortem bene praeparatum
pectus. Informis hiemes reducit 15
Iuppiter, idem

summovet. Non, si male nunc, et olim
sic erit: quondam cithara tacentem
suscitat musam neque semper arcum
tendit Apollo. 20

Rebus angustis animosus atque
fortis appare: sapienter idem
contrahes vento nimium secundo
turgida vela.

72

Eheu fugaces, Postume, Postume,
labuntur anni, nec pietas moram
rugis et instanti senectae
adferet indomitaque morti;

non si trecenis quotquot eunt dies, 5
amice, places inlacrimabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi

compescit unda, scilicet omnibus,
quicumque terrae munere vescimur, 10
enaviganda, sive reges
sive inopes erimus coloni.

Frustra cruento Marte carebimus
fractisque rauci fluctibus Hadriae,
frustra per autumnos nocentem 15
corporibus metuemus Austrum.

Visendus ater flumine languido
 Cocytos errans et Danaï genus
 infame damnatusque longi
 Sisyphus Aeolides laboris. 20

Linquenda tellus et domus et placens
 uxor, neque harum quas colis arborum
 te praeter invisas cupressos
 ulla brevem dominum sequetur.

Absumet heres Caecuba dignior 25
 servata centum clavibus et mero
 tinguet pavementum superbo,
 pontificum potiore cenis.

73

'Donec gratus eram tibi
 nec quisquam potior bracchia candidae
 cervici iuvenis dabat,
 Persarum vigui rege beatior.'

'Donec non alia magis 5
 arsisti neque erat Lydia post Chloen,
 multi Lydia nominis,
 Romana vigui clarior Ilia.'

'Me nunc Thressa Chloe regit,
 dulcis docta modos et citharae sciens, 10
 pro qua non metuum mori,
 si parcent animae fata superstiti.'

'Me torret face mutua
 Thurini Calais filius Ornyti,

pro quo bis patiar mori,
si parcent puero fata superstiti.'

15

'Quid si prisca redit Venus,
diductosque iugo cogit aëneo,
si flava excutitur Chloe,
reiectaeque patet ianua Lydiae?'

20

'Quamquam sidere pulchrior
ille est, tu levior cortice et improbo
iracundior Hadria,
tecum vivere amem, tecum obeam libens.'

74

O fons Bandusiae, splendidior vitro,
dulci digne mero non sine floribus,
cras donaberis haedo,
cui frons turgida cornibus

primis et venerem et proelia destinat;
frustra: nam gelidos inficiet tibi
rubro sanguine rivos,
lascivi suboles gregis.

5

Te flagrantis atrox hora Caniculae
nescit tangere, tu frigus amabile
fessis vomere tauris
praebes et pecori vago.

10

Fies nobilium tu quoque fontium,
me dicente cavis impositam ilicem
saxis, unde loquaces
lymphae desiliunt tuae.

15

75

Vixi puellis nuper idoneus
 et militavi non sine gloria:
 nunc arma defunctumque bello
 barbiton hic paries habebit,

laevum marinae qui Veneris latus
 custodit. Hic, hic ponite lucida
 funalia et vectis et arcus
 oppositis foribus minacis. 5

O quae beatam diva tenes Cyprum et
 Memphin carentem Sithonia nive,
 regina, sublimi flagello 10
 tange Chloen semel arrogantem.

76

Exegi monumentum aere perennius
 regalique situ pyramidum altius,
 quod non imber edax, non Aquilo impotens
 possit diruere aut innumerabilis
 annorum series et fuga temporum. 5
 Non omnis moriar, multaque pars mei
 vitabit Libitinam: usque ego postera
 crescā laude recens. Dum Capitolium
 scandet cum tacita virgine pontifex,
 dicar, qua violens obstrepit Aufidus 10
 et qua pauper aquae Daunus agrestium
 regnavit populorum, ex humili potens
 princeps Aeolium carmen ad Italos
 deduxisse modos. Sume superbiam

quaesitam meritis et mihi Delphica
lauro cinge volens, Melpomene, comam. 15

77

Diffugere nives, redeunt iam gramina campis
arboribusque comae;
mutat terra vicis et decrescentia ripas
flumina praetereunt;
Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet 5
ducere nuda choros.
Immortalia ne speres, monet annus et alnum
quae rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas
interitura, simul 10
pomifer autumnus fruges effuderit, et mox
bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant caelestia lunae:
nos ubi decidimus
quo pater Aeneas, quo Tullus dives et Ancus, 15
pulvis et umbra sumus.
Quis scit an adiciant hodiernae crastina summae
tempora di superi?
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
quae dederis animo. 20
Cum semel occideris et de te splendida Minos
fecerit arbitria,
non, Torquate, genus, non te facundia, non te
restituēt pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum 25
liberat Hippolytum,
nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
vincula Pirithoo.

78

'Beatus ille, qui procul negotiis, ut prisca gens mortalium, paterna rura bobus exercet suis, solutus omni faenore, neque excitatur classico miles truci, neque horret iratum mare, forumque vitat et superba civium potentiorum limina.	5
Ergo aut adulta vitium propagine altas maritat populos, aut in reducta valle mugientium prospectat errantis greges, inutilisq; falce ramos amputans feliciores inserit, aut pressa puris mella condit amphoris, aut tondet infirmas ovis; vel, cum decorum mitibus pomis caput autumnus agris extulit, ut gaudet insitiva decerpens pira, certantem et uvam purpurae, qua muneretur te, Priape, et te, pater Silvane, tutor finium!	10
Libet iacere modo sub antiqua ilice, modo in tenaci gramine; labuntur altis interim rivis aquae, queruntur in silvis aves, fontesque lymphis obstrepunt manantibus, somnos quod invitet levis.	15
At cum tonantis annus hibernus Iovis imbris nivisque comparat,	20
	25
	30

aut trudit acris hinc et hinc multa cane
 apros in obstantis plagas,
 aut amite levi rara tendit retia,
 turdis edacibus dolos,
 pavidumque leporem et advenam laqueo gruem 35
 iucunda captat praemia.
 Quis non malarum, quas amor curas habet,
 haec inter obliviscitur?
 Quod si pudica mulier in partem iuvet
 domum atque dulcis liberos, 40
 Sabina qualis aut perusta solibus
 pernicious uxor Apuli,
 sacrum vetustis exstruat lignis focum
 lassi sub adventum viri,
 claudensque textis cratibus laetum pecus 45
 distenta siccet ubera,
 et horna dulci vina promens dolio
 dapes inemptas apparet;
 non me Lucrina iuverint conchylia
 magisve rhombus aut scari, 50
 si quos Eois intonata fluctibus
 hiems ad hoc vertat mare,
 non Afra avis descendat in ventrem meum,
 non attagen Ionicus
 iucundior, quam lecta de pinguissimis 55
 oliva ramis arborum,
 aut herba lapathi prata amantis et gravi
 malvae salubres corpori,
 vel agna festis caesa Terminalibus,
 vel haedus ereptus lupo. 60
 Has inter epulas ut iuvat pastas ovis
 videre properantis domum,

videre fessos vomerem inversum boves
 collo trahentis languido,
 positosque vernas, ditis examen domus, 65
 circum renidentis Laris.'
 Haec ubi locutus faenerator Alfius,
 iam iam futurus rusticus,
 omnem redegit Idibus pecuniam;
 quaerit Kalendis ponere. 70

79

Nos manet Oceanus circumvagus: arva beata
 petamus, arva divites et insulas,
 reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis
 et imputata floret usque vinea,
 germinat et numquam fallentis termes olivae 5
 suamque pulla ficus ornat arborem,
 mella cava manant ex ilice, montibus altis
 levis crepante lymphæ desilit pede.
 Illic iniussæ veniunt ad mulctra capellæ,
 refertque tenta grex amicus ubera, 10
 nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
 neque intumescit alta viperis humus.
 Pluraque felices mirabimur, ut neque largis
 aquosus Euræus arva radat imbribus,
 pinguis nec siccis urantur semina glaebis, 15
 utrumque rege temperante caelitem.
 Non huc Argæo contendit remige pinus,
 neque impudica Colchis intulit pedem;
 non huc Sidonii torserunt cornua nautæ,
 laboriosa nec cohors Vlixæi. 20
 Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
 gregem aestuosa torret impotentia.

Iuppiter illa piae secrevit litora genti,
 ut inquinavit aere tempus aureum;
 aere, dehinc ferro duravit saecula, quorum 25
 piis secunda vate me datur fuga.

80

B. H. E. Selig

Ibam forte Via Sacra, sicut meus est mos,
 nescio quid meditans nugarum, totus in illis:
 accurrit quidam notus mihi nomine tantum,
 arreptaque manu, 'Quid agis, dulcissime rerum?'
 'Suaviter, ut nunc est,' inquam, 'et cupio omnia quae vis.' 5
 Cum adsectaretur, 'Numquid vis?' occupo. At ille,
 'Noris nos,' inquit; 'docti sumus.' Hic ego, 'Pluris
 hoc,' inquam, 'mihi eris.' Misere discedere quaerens,
 ire modo ocuis, interdum consistere, in aurem
 dicere nescio quid puero, cum sudor ad imos 10
 manaret talos. 'O te, Bolane, cerebri
 felicem!' aiebam tacitus, cum quidlibet ille
 garriret, vicos, urbem laudaret. Vt illi
 nil respondebam, 'Misere cupis,' inquit, 'abire;
 iamdudum video; sed nil agis; usque tenebo; 15
 persequar. Hinc quo nunc iter est tibi?' 'Nil opus est te
 circumagi; quendam volo visere non tibi notum;
 trans Tiberim longe cubat is, prope Caesaris hortos.'
 'Nil habeo quod agam, et non sum piger; usque sequar te.'
 Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus, 20
 cum gravius dorso subiit onus. Incipit ille:
 'Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
 non Varium facies; nam quis me scribere pluris
 aut citius possit versus? Quis membra movere
 mollius? Invideat quod et Hermogenes, ego canto.' 25
 Interpellandi locus hic erat: 'Est tibi mater,

- cognati, quis te salvo est opus?' 'Haud mihi quisquam;
 omnis composui.' 'Felices! Nunc ego resto;
 confice; namque instat fatum mihi triste, Sabella
 quod puero cecinit divina mota anus urna: 30
- 'Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis
 nec laterum dolor aut tussis, nec tarda podagra;
 garrulus hunc quando consumet cumque; loquacis,
 si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas.''
- Ventum erat ad Vestae, quarta iam parte diei 35
 praeterita, et casu tunc respondere vadato
 debebat; quod ni fecisset, perdere litem.
 'Si me amas,' inquit, 'paulum hic ades.' 'Inteream, si
 aut valeo stare aut novi civilia iura;
 et propero quo scis.' 'Dubius sum quid faciam,' inquit, 40
 'tene relinquam an rem.' 'Me, sodes.' 'Non faciam,'
 ille,
 et praecedere coepit. Ego, ut contendere durum est
 cum victore, sequor. 'Maecenas quomodo tecum?'
 hinc repetit; 'paucorum hominum et mentis bene sanae.
 Nemo dexterius fortuna est usus; haberes 45
 magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,
 hunc hominem velles si tradere; dispeream, ni
 summosses omnis.' 'Non isto vivimus illic
 quo tu rere modo; domus hac nec purior ulla est
 nec magis his aliena malis. Nil mi officit,' inquam, 50
 'ditior hic aut est quia doctior; est locus uni
 cuique suus.' 'Magnum narras, vix credibile.' 'Atqui
 sic habet.' 'Accendis, quare cupiam magis illi
 proximus esse.' 'Velis tantummodo: quae tua virtus,
 expugnabis; et est qui vinci possit, eoque 55
 difficilis aditus primos habet.' 'Haud mihi dero:
 muneribus servos corrumpam; non, hodie si

exclusus fuero, desistam; tempora quaeram,
 occurram in triviis, deducam. Nil sine magno
 vita labore dedit mortalibus.' Haec dum agit, ecce 60
 Fuscus Aristius occurrit, mihi carus et illum
 qui pulchre nosset. Consistimus. 'Vnde venis et
 quo tendis?' rogat et respondet. Vellere coepi
 et prensare manu lentissima bracchia, nutans,
 distortuens oculos, ut me eriperet. Male salsus 65
 ridens dissimulare; meum iecur urere bilis.
 'Certe nescio quid secreto velle loqui te
 aiebas mecum.' 'Memini bene, sed meliore
 tempore dicam; hodie tricesima sabbata: vin tu
 curtis Iudaeis oppedere?' 'Nulla mihi,' inquam, 70
 'religio est.' 'At mi; sum paulo infirmior, unus
 multorum. Ignosces; alias loquar.' Huncine solem
 tam nigrum surrexe mihi! Fugit improbus ac me
 sub cultro linquit. Casu venit obuius illi
 adversarius et, 'Quo tu, turpissime?' magna 75
 inclamat voce et, 'Licet antestari?' Ego vero
 oppono auriculam. Rapit in ius; clamor utrimque,
 undique concursus. Sic me servavit Apollo.

ALBIVS TIBVLLVS

81

Divitias alius fulvo sibi congerat auro
 et teneat culti iugera multa soli,
 quem labor adsiduus vicino terreat hoste,
 Martia cui somnos classica pulsa fugent:
 me mea paupertas vita traducat inertem, 5
 dum meus adsiduo luceat igne focus.

- Ipse seram teneras maturo tempora vitis
 rusticus et facili grandia poma manu:
 nec spes destituat, sed frugum semper acervos
 praebeat et pleno pingua musta lacu. 10
- Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris
 seu vetus in trivio florida sarta lapis:
 et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
 libatum agricolae ponitur ante deum.
- Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona 15
 spicea, quae templi pendeat ante foris:
 pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
 terreat ut saeva falce Priapus avis.
- Vos quoque, felicitis quondam, nunc pauperis agri
 custodes, fertis munera vestra, Lares. 20
- Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuencos:
 nunc agna exigui est hostia parva soli.
- Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
 clamet, 'Io messis et bona vina date.'
- Iam modo iam possim contentus vivere parvo 25
 nec semper longae deditus esse viae,
 sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
 arboris ad rivos praetereuntis aquae.
- Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem
 aut stimulo tardos increpuisse boves, 30
 non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
 desertum oblita matre referre domum.
- At vos exiguo pecori, furesque lupique,
 parcite: de magno est praeda petenda grege.
- Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis 35
 et placidam soleo spargere lacte Palem.
- Adsitis, divi, nec vos e paupere mensa
 dona nec e puris spernite ficitilibus.

- Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
 pocula, de facili composuitque luto. 40
- Non ego divitias patrum fructusve requiro,
 quos tulit antiquo condita messis avo:
parva seges satis est, satis est requiescere lecto,
 si licet, et solito membra levare toro.
- Quam iuvat immitis ventos audire cubantem, 45
 et dominam tenero continuisse sinu
aut, gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster,
 securum somnos imbre iuvante sequi!
- Hoc mihi contingat: sit dives iure, furorem
 qui maris et tristis ferre potest pluvias. 50
- O quantum est auri pereat potiusque smaragdi,
 quam fleat ob nostras ulla puella vias.
- Te bellare decet terra, Messalla, marique,
 ut domus hostilis praeferat exuvias:
me retinent vinctum formosae vincla puellae, 55
 et sedeo duras ianitor ante foris.
- Non ego laudari curo, mea Delia: tecum
 dum modo sim, quaeso segnis inersque vocer.
- Te spectem, suprema mihi cum venerit hora,
 te teneam moriens deficiente manu. 60
- Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
 tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.
- Flebis: non tua sunt duro praecordia ferro
 vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.
- Illo non iuvenis poterit de funere quisquam 65
 lumina, non virgo, sicca referre domum.
- Tu manis ne laede meos, sed parce solutis
 crinibus et teneris, Delia, parce genis.
- Interea, dum fata sinunt, iungamus amores:
 iam veniet tenebris Mors adoperta caput; 70

iam surrepet iners aetas, nec amare decebit,
 dicere nec cano blanditias capite.
 Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postis
 non pudet et rixas inseruisse iuvat.
 Hic ego dux milesque bonus: vos, signa tubaeque, 75
 ite procul, cupidis vulnera ferte viris,
 ferte et opes: ego composito securus acervo
 despiciam ditis despiciamque famem.

82

Ibitis Aegaeas sine me, Messalla, per undas,
 o utinam memores ipse cohorsque mei.
 Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris:
 abstineas avidas, Mors precor atra, manus.
 Abstineas, Mors atra, precor: non hic mihi mater 5
 quae legat in maestos ossa perusta sinus,
 non soror, Assyrios cineri quae dedat odores
 et fleat effusis ante sepulcra comis,
 Delia non usquam quae, me cum mitteret urbe,
 dicitur ante omnis consuluisse deos. 10
 Illa sacras pueri sortis ter sustulit: illi
 rettulit e trinis omina certa puer.
 Cuncta dabant reditus: tamen est deterrita numquam,
 quin fleret nostras respiceretque vias.
 Ipse ego solator, cum iam mandata dedissem, 15
 quaerebam tardas anxius usque moras:
 aut ego sum causatus, 'Aves dant omina dira,'
 Saturni aut sacram me tenuisse diem.
 O quotiens ingressus iter mihi tristia dixi
 offensum in porta signa dedisse pedem! 20
 Audeat invito ne quis discedere Amore,
 aut sciat egressum se prohibente deo.

Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt
illa tua totiens aera repulsa manu,
quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
te (memini) et puro secubuisse toro? 25
Nunc, dea, nunc succurre mihi (nam posse mederi
picta docet templis multa tabella tuis),
ut mea votivas persolvens Delia voces
ante sacras lino tecta foris sedeat, 30
bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penatis
reddereque antiquo menstrua tura Lari.
Quam bene Saturno vivebant rege, priusquam 35
tellus in longas est patefacta vias!
Nondum caeruleas pinus contempserat undas,
effusum ventis praebueratque sinum,
nec vagus ignotis repetens compendia terris
presserat externa navita merce ratem. 40
Illo non validus subiit iuga tempore taurus,
non domito frenos ore momordit equus,
non domus ulla foris habuit, non fixus in agris,
qui regeret certis finibus arva lapis.
Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant 45
obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem
immiti saevus duxerat arte faber.
Nunc Iove sub domino caedes et vulnera semper,
nunc mare, nunc leti mille repente viae. 50
Parce, pater. Timidum non me periuria terrent,
non dicta in sanctos impia verba deos.
Quod si fatalis iam nunc explevimus annos,
fac lapis inscriptis stet super ossa notis:

- 'Hic iacet immiti consumptus morte Tibullus,
Messallam terra dum sequiturque mari.' 55
- Sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
ipsa Venus campos ducet in Elysios.
- Hic choreae cantusque vigent, passimque vagantes
dulce sonant tenui gutture carmen aves, 60
- fert casiam non culta seges, totosque per agros
florete odoratis terra benigna rosis:
ac iuvenum series teneris immixta puellis
ludit, et adsidue proelia miscet Amor.
- Illic est, cuicumque rapax Mors venit amanti, 65
et gerit insigni myrtea sarta coma.
- At scelerata iacet sedes in nocte profunda
abdita, quam circum flumina nigra sonant:
Tisiphoneque impexa feros pro crinibus anguis
saevit, et huc illuc impia turba fugit: 70
- tum niger in porta serpentum Cerberus ore
stridet, et aeratas excubat ante foris.
- Illic Iunonem temptare Ixionis ausi
versantur celeri noxia membra rota,
porrectusque novem Tityos per iugera terrae 75
adsiduas atro viscere pascit avis.
- Tantalus est illic, et circum stagna: sed acrem
iam iam poturi deserit unda sitim:
et Danaï proles, Veneris quod numina laesit,
in cava Lethaeas dolia portat aquas. 80
- Illic sit, quicumque meos violavit amores,
optavit lentas et mihi militias.
- At tu casta precor maneat, sanctique pudoris
adsideat custos sedula semper anus.
- Haec tibi fabellas referat positaque lucerna 85
deducat plena stamina longa colo:

ac circa gravibus pensis adfixa puella
 paulatim somno fessa remittat opus.
 Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
 sed videar caelo missus adesse tibi. 90
 Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
 obvia nudato, Delia, curre pede.
 Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
 Luciferum roseis candida portet equis.

83

Dicamus bona verba: venit Natalis ad aras:
 quisquis ades, lingua, vir mulierque, fave.
 Vrantur pia tura focis, urantur odores,
 quos tener e terra divite mittit Arabs. 5
 Ipse suos Genius adsit visurus honores,
 cui decorent sanctas mollia sarta comas.
 Illius puro destillent tempora nardo,
 atque satur libo sit madeatque mero,
 adnuat et, Cornute, tibi quodcumque rogabis.
 En age, quid cessas? Adnuit ille: roga. 10
 Auguror, uxoris fidos optabis amores:
 iam reor hoc ipsos edidicisse deos.
 Nec tibi malueris, totum quaecumque per orbem
 fortis arat valido rusticus arva bove,
 nec tibi, gemmarum quidquid felicibus Indis 15
 nascitur, Eoi qua maris unda rubet.
 Vota cadunt: utinam strepitantibus advolet alis
 flavaque coniugio vincula portet Amor,
 vincula quae maneant semper, dum tarda senectus
 inducat rugas inficiatque comas. 20
 Hic veniat Natalis avis prolemque ministret,
 ludat et ante tuos turba novella pedes.

DOMITIVS MARSVS

84

Te quoque Vergilio comitem non aequa, Tibulle,
 mors iuvenem campos misit ad Elysios,
 ne foret, aut elegis mollis qui fleret amores
 aut caneret forti regia bella pede.

SEX. PROPERTIVS

85

Haec certe deserta loca et taciturna querenti,
 et vacuum Zephyri possidet aura nemus:
 hic licet occultos proferre impune dolores,
 si modo sola queant saxa tenere fidem.
 Vnde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus? 5
 Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
 Qui modo felicis inter numerabar amantis,
 nunc in amore tuo cogor habere notam.
 Quid tantum merui? Quae te mihi crimina mutant?
 An nova tristitiae causa puella tuae? 10
 Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
 limine formosos intulit ulla pedes.
 Quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
 non ita saeva tamen venerit ira mea,
 ut tibi sim merito semper furor, et tua flendo 15
 lumina deiectis turpia sint lacrimis.
 An quia parva damus mutato signa colore,
 et non ulla meo clamat in ore fides?
 Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
 fagus et Arcadio pinus amica deo. 20
 A quotiens teneras resonant mea verba sub umbras,
 scribitur et vestris 'Cynthia' corticibus!

An tua quod peperit nobis iniuria curas,
 quae solum tacitis cognita sunt foribus?
 Omnia consuevi timidus perferre superbae 25
 iussa neque arguto facta dolore queri.
 Pro quo, divini fontes, et frigida rupes
 et datur inculto tramite dura quies:
 et quodcumque meae possunt narrare querellae,
 cogor ad argutas dicere solus avis. 30
 Sed qualiscumque es, resonent mihi 'Cynthia' silvae,
 nec deserta tuo nomine saxa vacent.

86

Me iuuet hesternis positum languere corollis,
 quem tetigit iactu certus ad ossa deus:
 Actia Vergilium custodis litora Phoebi,
 Caesaris et fortis dicere posse ratis,
 qui nunc Aeneae Troiani suscitatur arma, 5
 iactaque Lavinis moenia litoribus.
 Cedite Romani scriptores, cedite Grai:
 nescio quid maius nascitur Iliade.
 Tu canis umbrosi subter pineta Galaesi
 Thyrsin et attritis Daphnin harundinibus, 10
 utque decem possint corrumpere mala puellas,
 missus et impressis haedus ab uberibus.
 Felix, qui vilis pomis mercaris amores!
 Huic licet ingratae Tityrus ipse canat:
 felix intactum Corydon qui temptat Alexin 15
 agricolae domini carpere delicias!
 Quamvis ille sua lassus requiescat avena,
 laudatur facilis inter Hamadryadas.
 Tu canis Ascraei veteris praecepta poetae,
 quo seges in campo, quo viret uva iugo. 20

Tale facis carmen, docta testudine quale
Cynthia impositis temperat articulis.

87

Desine, Paulle, meum lacrimis urgere sepulcrum:
panditur ad nullas ianua nigra preces.
Cum semel infernas intrarunt funera leges,
non exorato stant adamante viae.
Te licet orantem fuscae deus audiat aulae: 5
nempe tuas lacrimas litora surda bibent.
Vota movent superos: ubi portitor aera recepit,
obserat umbrosos lurida porta rogos.
Nunc tibi commendo, communia pignora, natos: 10
haec cura et cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater: illa meorum
omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula cum dederis tua flentibus, adice matris:
tota domus coepit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris, sine testibus illis: 15
cum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges,
somniaque in faciem credita saepe meam:
atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris,
ut responsurae singula verba iace. 20

P. OVIDIVS NASO

88

Qui modo Nasonis fueram^{us} quinque libelli,
tres sumus. Hoc illi praetulit auctor opus,
ut iam nulla tibi nos sit legisse voluptas,
at levior demptis poena duobus erit.

Arma gravi numero violentaque bella parabam
 edere, materia conveniente modis:
 par erat inferior versus: risisse Cupido
 dicitur atque unum surripuisse pedem.
 'Quis tibi, saeve puer, dedit hoc in carmina iuris?' 5
 Pieridum vates, non tua turba sumus.
 Quid si praeripiat flavae Venus arma Minervae,
 ventilet accensas flava Minerva faces?
 Quis probet in silvis Cererem regnare iugosis,
 lege pharetratae virginis arva coli? 10
 Crinibus insignem quis acuta cuspede Phoebum
 instruat, Aoniam Marte movente lyram?
 Sunt tibi magna, puer, nimiumque potentia regna:
 cur opus adfectas, ambitiose, novum?
 An, quod ubique, tuum est? Tua sunt Heliconia Tempe? 15
 Vix etiam Phoebos iam lyra tuta sua est?
 Cum bene surrexit versu nova pagina primo,
 attenuat nervos proximus ille meos;
 nec mihi materia est numeris levioribus apta,
 aut puer, aut longas compta puella comas.' 20
 Questus eram, pharetra cum protinus ille soluta
 legit in exitium spicula facta meum,
 lunavitque genu sinuosum fortiter arcum,
 'Quod' que 'canas, vates, accipe,' dixit, 'opus.'
 Me miserum! Certas habuit puer ille sagittas: 25
 uror, et in vacuo pectore regnat Amor.
 Sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat:
 ferrea cum vestris bella valet modis.
 Cingere litorea flaventia tempora myrto,
 Musa, per undenos emodulanda pedes. 30

- Quid mihi, Livor edax, ignavos obicis annos,
 ingeniique vocas carmen inertis opus?
 Non me more patrum, dum strenua sustinet aetas,
 praemia militiae pulverulenta sequi,
 nec me verbosas leges ediscere, nec me 5
 ingrato vocem prostituisse foro?
 Mortale est, quod quaeris, opus; mihi fama perennis
 quaeritur, in toto semper ut orbe canar.
 Vivet Maeonides, Tenedos dum stabit et Ide,
 dum rapidas Simois in mare volvet aquas; 10
 vivet et Ascræus, dum mustis uva tumebit,
 dum cadet incurva falce resecta Ceres;
 Battiades semper toto cantabitur orbe:
 quamvis ingenio non valet, arte valet;
 nulla Sophocleo veniet iactura cothurno; 15
 cum sole et luna semper Aratus erit;
 dum fallax servus, durus pater, improba lena
 vivent et meretrix blanda, Menandros erit;
 Ennius arte carens animosique Accius oris
 casurum nullo tempore nomen habent. 20
 Varronem primamque ratem quae nesciet aetas,
 aureaque Aesonio terga petita duci?
 Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
 exitio terras cum dabit una dies;
 Tityrus et segetes Aeneïaque arma legentur, 25
 Roma triumphati dum caput orbis erit;
 donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
 discentur numeri, culte Tibulle, tui;
 Gallus et Hesperii et Gallus notus Eois,
 et sua cum Gallo nota Lycoris erit. 30

Ergo cum silices, cum dens patientis aratri
 depereant aevo, carmina morte carent:
 cedant carminibus reges regumque triumpho,
 cedat et auriferi ripa benigna Tagi.
 Vilia miretur vulgus; mihi flavus Apollo 35
 pocula Castalia plena ministret aqua,
 sustineamque coma metuentem frigora myrtum
 atque ita sollicito multus amante legar.
 Pascitur in vivis Livor, post fata quiescit,
 cum suus ex merito quemque tuetur honos. 40
 Ergo etiam cum me supremus adederit ignis,
 vivam, parsque mei multa superstes erit.

90

Quaere novum vatem, tenerorum mater Amorum:
 raditur hic elegis ultima meta meis;
 quos ego composui, Paeligni ruris alumnus,
 (nec me deliciae dedecuerunt meae)
 si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres, 5
 non modo militiae turbine factus eques.
 Mantua Vergilio, gaudet Verona Catullo;
 Paelignae dicar gloria gentis ego,
 quam sua libertas ad honesta coegerat arma,
 cum timuit socias anxia Roma manus. 10
 Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
 moenia, quae campi iugera pauca tenent,
 'Quae tantum,' dicat, 'potuistis ferre poetam,
 quantulacumque estis, vos ego magna voco.'
 Culte puer puerique parens Amathusia culti, 15
 aurea de campo vellite signa meo.
 Corniger increpuit thyrso graviore Lyaeus:
 pulsanda est magnis area maior equis.

Imbelles elegi, genialis Musa, valete,
 post mea mansurum fata superstes opus. 20

91

Clare nepos Atlantis, ades, quem montibus olim
 edidit Arcadiis Pleiās uda Iovi,
 pacis et armorum superis imisque deorum
 arbiter, alato qui pede carpis iter,
 laete lyrae pulsu, nitida quoque laete palaestra, 5
 quo didicit culte lingua docente loqui,
 templa tibi posuere patres spectantia Circum
 Idibus; ex illo est haec tibi sacra dies.
 Te, quicumque suas profitetur vendere mercis,
 ture dato, tribuas ut sibi lucra, rogant. 10
 Est aqua Mercurii portae vicina Capenae;
 si iuvat expertis credere, numen habet.
 Huc venit incinctus tunicam mercator et urna
 purus suffita, quam ferat, haurit aquam.
 Vda fit hinc laurus, lauro sparguntur ad uda 15
 omnia, quae dominos sunt habitura novos.
 Spargit et ipse suos lauro rorante capillos
 et peragit solita fallere voce preces:
 'Ablue praeteriti periuria temporis,' inquit,
 'abluere praeterita perfida verba die. 20
 Sive ego te feci testem falsove citavi
 non audituri numina magna Iovis,
 sive deum prudens alium divamve fefelli,
 abstulerint celeres improba verba Noti.
 Et pateant veniente die periuria nobis, 25
 nec curent Superi si qua locutus ero.
 Da modo lucra mihi, da facto gaudia lucro,
 et fac ut emptori verba dedisse iuuet.'

Talia Mercurius poscentem ridet ab alto,
se memor Ortygias surripuisse boves. 30

92

Calliope querulas praetemptat pollice chordas,
atque haec percussis subiungit carmina nervis:
'Prima Ceres unco glaebam dimovit aratro,
prima dedit fruges alimentaue mitia terris,
prima dedit leges; Cereris sunt omnia munus. 5
Illa canenda mihi est. Vtinam modo dicere possem
carmina digna dea; certe dea carmine digna est.'

93

'Forsitan audieris aliquam certamine cursus
velocis superasse viros. Non fabula rumor
ille fuit; superabat enim, nec dicere posses
laude pedum formaene bono praestantior esset.
Scitanti deus huic de coniuge, "Coniuge," dixit, 5
"nil opus est, Atalanta, tibi; fuge coniugis usum.
Nec tamen effugies, teque ipsa viva carebis."
Territa sorte dei per opacas innuba silvas
vivit, et instantem turbam violenta procorum
condicione fugat, nec "Sum potiunda, nisi," inquit, 10
"victa prius cursu; pedibus contendite mecum:
praemia veloci coniunx thalamique dabuntur;
mors pretium tardis. Ea lex certaminis esto."
Illa quidem immitis; sed tanta potentia formae est,
venit ad hanc legem temeraria turba procorum. 15
Sederat Hippomenes cursus spectator iniqui,
et, "Petitur cuiquam per tanta pericula coniunx?"
dixerat ac nimios iuvenum damnarat amores.
Vt faciem et posito corpus velamine vidit,

quale meum vel quale tuum, si femina fias, 20
 obstipuit, tollensque manus, "Ignoscite," dixit,
 "quos modo culpavi; nondum mihi praemia nota,
 quae peteretis, erant." Laudando concipit ignis,
 et ne quis iuvenum currat velocius optat
 invidiaque timet. "Sed cur certaminis huius 25
 intemptata mihi fortuna relinquitur?" inquit,
 "Audentis deus ipse iuvat." Dum talia secum
 exigit Hippomenes, passu volat alite virgo.
 Quae quamquam Scythica non secius ire sagitta
 Aonio visa est iuveni, tamen ille decorem 30
 miratur magis; et cursus facit ille decorem.
 Aura refert ablata citis talaria plantis,
 tergaque iactantur crines per eburnea, quaeque
 poplitibus suberant picto genualia limbo;
 inque puellari corpus candore ruborem 35
 traxerat, haud aliter quam cum super atria velum
 candida purpureum simulatas inficit umbras.
 Dum notat haec hospes, decursa novissima meta est,
 et tegitur festa victrix Atalanta corona.
 Dant gemitum victi penduntque ex foedere poenas. 40
 Non tamen eventu iuvenis deterritus horum
 constitit in medio, vultuque in virgine fixo,
 "Quid facilem titulum superando quaeris inertis?
 Mecum confer," ait, "seu me fortuna potentem
 fecerit, a tanto non indignabere vinci; 45
 namque mihi genitor Megareus Onchestius, illi
 est Neptunus avus, pronepos ego regis aquarum;
 nec virtus citra genus est; seu vincar, habebis
 Hippomene victo magnum et memorabile nomen."
 Talia dicentem molli Schoeneia vultu 50
 aspicit et dubitat, superari an vincere malit.

Atque ita, "Quis deus hunc formosis," inquit, "iniquus,
 perdere vult, caraeque iubet discrimine vitae
 coniugium petere hoc? Non sum, me iudice, tanti.
 Nec forma tangor—poteram tamen hac quoque tangi— 55
 sed quod adhuc puer est; non me movet ipse, sed aetas.
 Quid, quod inest virtus et mens interrita leti? 56
 Quid, quod ad aequorea numeratur origine quartus?
 Quid, quod amat, tantique putat conubia nostra,
 ut pereat, si me fors illi dura negarit? 60
 Dum licet, hospes, abi, thalamosque relinque cruentos.
 Coniugium crudele meum est; tibi nubere nulla
 nolet; et optari potes a sapiente puella.
 Cur tamen est mihi cura tui, tot iam ante peremptis?
 Viderit! Intereat, quoniam tot caede procorum 65
 admonitus non est agiturque in taedia vitae.
 Occidet hic igitur, voluit quia vivere mecum,
 indignamque necem pretium patietur amoris?
 Non erit invidiae victoria nostra ferendae.
 Sed non culpa mea est. Vtinam desistere velles, 70
 aut, quoniam es demens, utinam velocior esses! —
 At quam virgineus puerili vultus in ore est!
 A miser Hippomene, nollem tibi visa fuissem.
 Vivere dignus eras. Quod si felicior essem,
 nec mihi coniugium fata importuna negarent, 75
 unus eras cum quo sociare cubilia vellem."
 Dixerat, utque rudis primoque Cupidine tacta,
 quid facit ignorans, amat et non sentit amorem.
 Iam solitos poscunt cursus populusque paterque,
 cum me sollicita proles Neptunia voce 80
 invocat Hippomenes, "Cytherea" que "comprecor, ausis
 adsit," ait, "nostris et quos dedit adiuvet ignis."
 Detulit aura preces ad me non invida blandas;

- motaque sum, fateor. Nec opis mora longa dabatur.
 Est ager, indigenae Tamasenum nomine dicunt, 85
 telluris Cypriae pars optima, quam mihi prisci
 sacravere senes templisque accedere dotem
 hanc iussere meis. Medio nitet arbor in arvo,
 fulva comam, fulvo ramis crepitantibus auro.
 Hinc tria forte mea veniens decerpta ferebam 90
 aurea poma manu; nullique videnda nisi ipsi
 Hippomenen adii docuique, quis usus in illis.
 Signa tubae dederant, cum carcere pronus uterque
 emicat et summam celeri pede libat harenam.
 Posse putes illos sicco freta radere passu, 95
 et segetis canae stantis percurrere aristas.
 Adiciunt animos iuveni clamorque favorque,
 verbaque dicentum, "Nunc, nunc incumbere tempus,
 Hippomene, propera. Nunc viribus utere totis.
 Pelle moram, vinces." Dubium, Megareius heros 100
 gaudeat, an virgo magis his Schoeneia dictis.
 O quotiens, cum iam posset transire, morata est,
 spectatosque diu vultus invita reliquit!
 Aridus e lasso veniebat anhelitus ore,
 metaque erat longe. Tum denique de tribus unum 105
 fetibus arboreis proles Neptunia misit.
 Obstipuit virgo nitidique cupidine pomi
 declinat cursus, aurumque volubile tollit.
 Praeterit Hippomenes; resonant spectacula plausu.
 Illa moram celeri cessataque tempora cursu 110
 corrigit, atque iterum iuvenem post terga relinquit.
 Et rursus pomi iactu remorata secundi,
 consequitur transitque virum. Pars ultima cursus
 restabat. "Nunc," inquit, "ades, dea, muneris auctor."
 Inque latus campi, quo tardius illa rediret, 115

iecit ab obliquo nitidum iuvenaliter aurum.
 An peteret, virgo visa est dubitare: coegi
 tollere, et adieci sublato pondera malo,
 impediique oneris pariter gravitate moraque.
 Neve meus sermo cursu sit tardior ipso, 120
 praeterita est virgo; duxit sua praemia victor.'

94

Est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
 mons cavus, ignavi domus et penetralia Somni;
 quo numquam radiis oriens mediusve cadensve
 Phoebus adire potest. Nebulae caligine mixtae
 exhalantur humo dubiaeque crepuscula lucis. 5
 Non vigil ales ibi cristati cantibus oris
 evocat Auroram, nec voce silentia rumpunt
 sollicitive canes canibusve sagacior anser.
 Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
 humanaeve sonum reddunt convicia linguae. 10
 Muta quies habitat. Saxo tamen exit ab imo
 rivus aquae Lethes, per quem cum murmure labens
 invitat somnos crepitantibus unda lapillis.
 Ante foris antri fecunda papavera florent
 innumeraeque herbae, quarum de lacte soporem 15
 nox legit et spargit per opacas umida terras.
 Ianua ne verso stridores cardine reddat:
 nulla domo tota, custos in limine nullus.
 At medio torus est ebene sublimis in antro,
 plumeus, unicolor, pullo velamine tectus; 20
 quo cubat ipse deus membris languore solutis.
 Hunc circa passim varias imitantia formas
 somnia vana iacent totidem, quot messis aristas,
 silva gerit frondis, eiectas litus harenas.

Quo simul intravit manibusque obstantia virgo 25
 somnia dimovit, vestis fulgore reluxit
 sacra domus: tardaue deus gravitate iacentis
 vix oculos tollens, iterumque iterumque relabens
 summaue percutiens nutanti pectora mento,
 excussit tandem sibi se, cubitoque levatus, 30
 quid veniat—cognovit enim—scitatur. At illa:
 'Somne, quies rerum, placidissime, Somne, deorum,
 pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
 fessa ministeriis mulces reparasque labori,
 somnia, quae veras aequent imitamine formas, 35
 Herculea Trachine iube sub imagine regis
 Alcyonen adeant, simulacraue naufraga fingant.
 Imperat hoc Iuno.' Postquam mandata peregit,
 Iris abit.

95

Orbe locus medio est inter terrasque fretumque
 caelestisque plagas, triplicis confinia mundi,
 unde quod est usquam, quamvis regionibus absit,
 inspicitur, penetratque cavas vox omnis ad auris.
 Fama tenet, summaue domum sibi legit in arce, 5
 innumerosque aditus ac mille foramina tectis
 addidit, et nullis inclusit limina portis.
 Nocte dieque patet. Tota est ex aere sonanti;
 tota fremit vocesque refert iteratque quod audit.
 Nulla quies intus nullaue silentia parte. 10
 Nec tamen est clamor, sed parvae murmura vocis,
 qualia de pelagi, si quis procul audiat, undis
 esse solent, qualemve sonum, cum Iuppiter atras
 increpuit nubis, extrema tonitrua reddunt.
 Atria turba tenet: veniunt leve vulgus euntque, 15

mixtaque cum veris passim commenta vagantur
 milia rumorum, confusaque verba volutant.
 E quibus hi vacuas implent sermonibus auris,
 hi narrata ferunt alio, mensuraque ficti
 crescit, et auditis aliquid novus adicit auctor. 20
 Illic Credulitas, illic temerarius Error
 vanaque Laetitia est consternatique Timores
 Seditioque repens, dubioque auctore Susurri.
 Ipsa quid in caelo rerum pelagoque geratur
 et tellure videt, totumque inquirat in orbem. 25

96

Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira nec ignis
 nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas.
 Cum volet, illa dies, quae nil nisi corporis huius
 ius habet, incerti spatium mihi finiat aevi;
 parte tamen meliore mei super alta perennis 5
 astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum.
 Quaque patet domitis Romana potentia terris,
 ore legar populi, perque omnia saecula fama,
 si quid habent veri vatum praesagia, vivam.

PHAEDRVS

97

Aesopus auctor quam materiam repperit,
 hanc ego polivi versibus senariis.
 Duplex libelli dos est: quod risum movet
 et quod prudenti vitam consilio monet.
 Calumniari si quis autem voluerit, 5
 quod arbores loquantur, non tantum ferae,
 fictis iocari nos meminerit fabulis.

98

Ad rivum eundem lupus et agnus venerant
 siti compulsi; superior stabat lupus
 longeque inferior agnus. Tunc fauce improba
 latro incitatus iurgii causam intulit.
 'Cur,' inquit, 'turbulentam fecisti mihi 5
 aquam bibenti?' Laniger contra timens:
 'Qui possum, quaeso, facere quod quereris, lupe?
 A te decurrit ad meos haustus liquor.'
 Repulsus ille veritatis viribus:
 'Ante hos sex mensis male,' ait, 'dixisti mihi.' 10
 Respondit agnus: 'Equidem natus non eram.'
 'Pater hercule tuus,' inquit, 'maledixit mihi.'
 Atque ita correptum lacerat iniusta nece.
 Haec propter illos scripta est homines fabula,
 qui fictis causis innocentis opprimunt. 15

99

Athenae cum florerent aequis legibus,
 procax libertas civitatem miscuit
 frenumque solvit pristinum licentia.
 Hic conspiratis factionum partibus
 arcem tyrannus occupat Pisistratus. 5
 Cum tristem servitutem flerent Attici
 (non quia crudelis ille, sed quoniam grave
 omne insuetis onus) et coepissent queri,
 Aesopus talem tum fabellam rettulit.
 Ranae vagantes liberis paludibus 10
 clamore magno regem petiere a Iove,
 qui dissolutos mores vi compesceret.
 Pater deorum risit atque illis dedit
 parvum tigillum, missum quod subito vadis

motu sonoque terruit pavidum genus. 15
 Hoc mersum limo cum lateret diutius,
 forte una tacite profert e stagno caput
 et explorato rege cunctas evocat.
 Illae timore posito certatim adnatant
 superque lignum turba petulans insilit. 20
 Quod cum inquinassent omni contumelia,
 alium rogantis regem misere ad Iovem,
 inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.
 Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
 corripere coepit singulas. Frustra necem 25
 fugitant inertes, vocem praecludit metus.
 Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iovem,
 adfictis ut succurrat. Tunc contra deus:
 'Quia nolulistis vestrum ferre,' inquit, 'bonum,
 malum perferte. Vos quoque, o cives,' ait, 30
 'hoc sustinete, maius ne veniat, malum.'

100

Vicini furis celebris vidit nuptias
 Aesopus et continuo narrare incipit.
 Vxorem quondam Sol cum vellet ducere,
 clamorem ranae sustulere ad sidera.
 Convicio permotus quaerit Iuppiter 5
 causam querelae. Quaedam tum stagni incola:
 'Nunc,' inquit, 'omnis unus exurit lacus
 cogitque miseris arida sede emori.
 Quidnam futurum est, si crearit liberos?'

101

Qui se laudari gaudet verbis subdolis,
 sera dat poenas turpis paenitentia.

Cum de fenestra corvus raptum caseum
 comesse vellet, celsa residens arbore,
 vulpes hunc vidit, deinde sic coepit loqui: 5
 'O qui tuarum, corve, pennarum est nitor!
 Quantum decoris corpore et vultu geris! .
 Si vocem haberes, nulla prior ales foret.'
 At ille, dum vult etiam vocem ostendere,
 emisit ore caseum, quem celeriter 10
 dolosa vulpes avidis rapuit dentibus.
 Tum demum ingemuit corvi deceptus stupor.

102

Inops, potentem dum vult imitari, perit.
 In prato quondam rana conspexit bovem
 et tacta invidia tantae magnitudinis
 rugosam inflavit pellem: tum natos suos
 interrogavit, an bove esset latior. 5
 Illi negarunt. Rursus intendit cutem
 maiore nisu et simili quaesivit modo,
 quis maior esset. Illi dixerunt bovem.
 Novissime indignata dum vult validius
 inflare sese, rupto iacuit corpore. 10

103

Nulli nocendum: si quis vero laeserit,
 multandum simili iure fabella admonet.
 Vulpes ad cenam dicitur ciconiam
 prior invitasse et illi in patina liquidam
 posuisse sorbitionem, quam nullo modo 5
 gustare esuriens potuerit ciconia.
 Quae vulpem cum revocasset, intrito cibo
 plenam lagonam posuit: huic rostrum inserens
 satiatur ipsa et torquet convivam fame.

Quae cum lagonae collum frustra lamberet, 10
 peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
 'Sua quisque exempla debet aequo animo pati.'

104

Quam dulcis sit libertas, breviter proloquar.
 Cani perpasto macie confectus lupus
 forte occucurrit. Dein salutatum invicem
 ut restiterunt: 'Vnde sic, quaeso, nites,
 aut quo cibo fecisti tantum corporis?' 5
 Ego, qui sum longe fortior, pereo fame.'
 Canis simpliciter: 'Eadem est condicio tibi,
 praestare domino si par officium potes.'
 'Quod?' inquit ille. 'Custos ut sis liminis,
 a furibus tuearis et noctu domum.' 10
 'Ego vero sum paratus: nunc patior nives
 imbrisque in silvis asperam vitam trahens:
 quanto est facilius mihi sub tecto vivere
 et otiosum largo satiari cibo?'
 'Veni ergo mecum.' Dum procedunt, aspicit 15
 lupus a catena collum detritum cani.
 'Vnde hoc, amice?' 'Nihil est.' 'Dic, quaeso, tamen.'
 'Quia videor acer, adligant me interdium,
 luce ut quiescam et vigilem, nox cum venerit:
 crepusculo solutus, qua visum est, vagor. 20
 Adfertur ultro panis; de mensa sua
 dat ossa dominus; frustra iactat familia
 et, quod fastidit quisque, pulmentarium.
 Sic sine labore venter impletur meus.'
 'Age, abire si quo est animus, est licentia?' 25
 'Non plane est,' inquit. 'Fruere quae laudas, canis:
 regnare nolo, liber ut non sim mihi.'

105

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus
 Aesopum nucibus cum vidisset, restitit
 et quasi delirum risit. Quod sensit simul
 derisor potius quam deridendus senex,
 arcum retensum posuit in media via: 5
 'Heus!' inquit, 'sapiens, expedi quid fecerim.'
 Concurrit populus. Ille se torquet diu
 nec quaestionis positae causam intellegit.
 Novissime succumbit. Tum victor sophus:
 'Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris; 10
 at si laxaris, cum voles erit utilis.'
 Sic ludus animo debet aliquando dari,
 ad cogitandum melior ut redeat tibi.

106

Fame coacta vulpes alta in vinea
 uvam appetebat summis saliens viribus;
 quam tangere ut non potuit, discedens ait:
 'Nondum matura est; nolo acerbam sumere.'
 Qui facere quae non possunt verbis elevant, 5
 ascribere hoc debebunt exemplum sibi.

107

Pravo favore labi mortales solent
 et, pro iudicio dum stant erroris sui,
 ad paenitendum rebus manifestis agi.
 Facturus ludos quidam dives nobilis
 proposito cunctos invitavit praemio, 5
 quam quisque posset ut novitatem ostenderet.

Venere artifices laudis ad certamina ;
 quos inter scurra, notus urbano sale,
 habere dixit se genus spectaculi,
 quod in theatro numquam prolatum foret. 10
 Dispersus rumor civitatem concitat.
 Paulo ante vacua turbam deficiunt loca.
 In scaena vero postquam solus constitit
 sine apparatu, nullis adiutoribus,
 silentium ipsa fecit exspectatio. 15
 Ille in sinum repente demisit caput
 et sic porcelli vocem est imitatus sua,
 verum ut subesse pallio contenderent
 et excuti iuberent. Quo facto simul
 nihil est repertum, multis onerant laudibus 20
 hominemque plausu prosequuntur maximo.
 Hoc vidit fieri rusticus. 'Non mehercule
 me vincet,' inquit: et statim professus est
 idem facturum melius se postridie.
 Fit turba maior. Iam favor mentis tenet 25
 et derisuri, non spectaturi, sedent.
 Vterque prodit. Scurra degrunnit prior
 movetque plausus et clamores suscitatur.
 Tunc simulans sese vestimentis rusticus
 porcellum obtegere, (quod faciebat scilicet, 30
 sed, in priore quia nil compererant, latens)
 pervellit aurem vero, quem celaverat,
 et cum dolore vocem naturae exprimit.
 Acclamat populus scurram multo similis
 imitatum, et cogit rusticum trudi foras. 35
 At ille profert ipsum porcellum e sinu,
 turpemque aperto pignore errorem probans:
 'En hic declarat, quales sitis iudices!'

INCERTVS AVCTOR

108

- Tu qui *secura procedis mente parumper*
siste gradum, quaeso, verbaque pauca lege.
 Illa ego quae *claris fueram praelata puellis*
hoc Homonoea brevi condita sum tumulo,
 cui *formam Paphie, Charites tribuere decorem,* 5
quam Pallas cunctis artibus erudiit.
 Nondum *bis denos aetas mea viderat annos,*
iniecere manus invida fata mihi.
 Nec pro me *queror hoc, morte est mihi tristior ipsa*
maeror Atimeti coniugis ille mei. 10
 ‘Sit tibi *terra levis, mulier dignissima vita*
quaeque tuis olim perfruerere bonis.’
- Si *pensare animas sinerent crudelia fata*
et posset redimi morte aliena salus,
 quantulumque *meae debentur tempora vitae* 15
pensassem pro te, cara Homonoea, libens.
 At nunc *quod possum, fugiam lucemque deosque,*
ut te matura per Styga morte sequar.
 ‘Parce tuam, *coniux, fletu quassare iuventam*
fataque maerendo sollicitare mea. 20
 Nil *prosunt lacrimae nec possunt fata moveri.*
Viximus, hic omnis exitus unus habet.
 Parce: *ita non unquam similem experiare dolorem*
et faveant votis numina cuncta tuis.
 Quodque *mihi eripuit mors inmatura iuventae* 25
id tibi victuro proroget ulterius.’

L. ANNAEVS SENECA

109

Iam rara micant sidera pronò
 languida mundo: nox victa vagos
 contrahit ignis luce renata,
 cogit nitidum Phosphoros agmen;
 signum celsi glaciale poli 5
 lucem verso temone vocat.
 Iam caeruleis evector equis
 Titan summa prospicit Oeta;
 iam Cadmeis incluta Bacchis
 aspersa die dumeta rubent 10
 Phoebique fugit reditura soror.
 Labor exoritur durus et omnis
 agitat curas aperitque domos.
 Pastor gelida cana pruina
 grege dimisso pabula carpit; 15
 ludit prato liber aperto
 nondum rupta fronte iuvençus,
 vacuae reparant ubera matres;
 errat cursu levis incerto
 molli petulans haedus in herba; 20
 pendet summo stridula ramo
 pennasque novo tradere soli
 gestit querulos inter nidos
 Thracia paelex, turbaque circa
 confusa sonat murmure mixto 25
 testata diem.
 Carbasa ventis credit dubius
 navita vitae, laxos aura
 complente sinus. Hic exesis
 pendens scopulis aut deceptos 30

instruit hamos aut suspensus
spectat pressa praemia dextra:
sentit tremulum linea piscem.

110

Verum est, an timidos fabula decipit,
umbras corporibus vivere conditis,
cum coniunx oculis imposuit manum
supremusque dies solibus obstitit
et tristis cineres urna coeruit? 5
Non prodest animam tradere funeri,
sed restat miseris vivere longius?
An toti morimur nullaque pars manet
nostri, cum profugo spiritus halitu
immixtus nebulis cessit in aëra 10
et nudum tetigit subdita fax latus?
Quidquid sol oriens, quidquid et occidens
novit, caeruleis Oceanus fretis
quidquid bis veniens et fugiens lavat,
aetas Pegaseo corripit gradu. 15
Quo bis sena volant sidera turbine,
quo cursu properat volvere saecula
astrorum dominus, quo properat modo
obliquis Hecate currere flexibus:
hoc omnes petimus fata: nec amplius, 20
iuratos Superis qui tetigit lacus,
usquam est; ut calidis fumus ab ignibus
vanescit, spatium per breve sordidus,
ut nubis, gravidas quas modo vidimus,
arctoi Boreae dissicit impetus: 25
sic hic, quo regimur, spiritus effluet.
Post mortem nihil est ipsaque mors nihil,

velocis spatii meta novissima;
 spem ponant avidi, solliciti metum:
 tempus nos avidum devorat et chaos. 30
 Mors individua est, noxia corpori
 nec parcens animae: Taenara et aspero
 regnum sub domino, limen et obsidens
 custos non facili Cerberus ostio,
 rumores vacui verbaque inania 35
 et par sollicito fabula somnio.
 Quaeris quo iaceas post obitum loco?
 Quo non nata iacent.

111

Audax nimium qui freta primus
 rate tam fragili perfida rupit,
 terrasque suas post terga videns
 animam levibus credidit auris,
 dubioque secans aequora cursu 5
 potuit tenui fidere ligno,
 inter vitae mortisque vias
 nimium gracili limite ducto.
 Candida nostri saecula patres
 videre procul fraude remota. 10
 Sua quisque piger litora tangens
 patrioque senex factus in arvo,
 parvo dives, nisi quas tulerat
 natale solum, non norat opes:
 nondum quisquam sidera norat 15
 stellisque quibus pingitur aether
 non erat usus, nondum pluvias
 Hyadas poterat vitare ratis.
 Non Oleniae lumina caprae

nec quae sequitur flectitque senex Attica tardus plaustra Bootes, nondum Boreas, nondum Zephyrus nomen habebant.	20
Ausus Tiphys pandere vasto carbasa ponto legesque novas scribere ventis.	25
Bene dissaepi foedera mundi traxit in unum Thessala pinus iussitque pati verbera pontum partemque metus fieri nostri mare sepositum.	30
Nunc iam cessit pontus et omnis patitur leges: non Palladia compacta manu regum referens incluta remos quaeritur Argo: quaelibet altum cumba pererrat. Terminus omnis motus et urbes muros terra posuere nova: nil qua fuerat sede reliquit pervius orbis.	35 40
Indus gelidum potat Araxen, Albin Persae Rhenumque bibunt. Venient annis saecula seris, quibus Oceanus vincula rerum laxet et ingens pateat tellus Tethysque novos detegat orbis nec sit terris ultima Thule.	45

112

Regem non faciunt opes,
non vestis Tyriae color,

non frontis nota regiae,
non auro nitidae fores:
non quidquid fodit Occidens 5
aut unda Tagus aurea
claro devehit alveo,
non quidquid Libycis terit
fervens area messibus.
Rex est qui posuit metus 10
et diri mala pectoris,
quem non ambitio impotens
et numquam stabilis favor
vulgi praecipitis movet;
qui tuto positus loco 15
infra se videt omnia
occurritque suo libens
fato nec queritur mori.
Stet quicumque volet potens
aulae culmine lubrico: 20
me dulcis saturet quies;
obscuro positus loco
leni perfruar otio;
nullis nota Quiritibus
aetas per tacitum fluat. 25
Sic cum transierint mei
nullo cum strepitu dies,
plebeius moriar senex.
Illi mors gravis incubat,
qui notus nimis omnibus, 30
ignotus moritur sibi.

113

Ablatus mihi Crispus est amicus,
pro quo si pretium dari liceret,

nostros dividerem libenter annos.
 Nunc pars optima me mei reliquit,
 Crispus, praesidium meum, voluptas, 5
 pectus, deliciae: nihil sine illo
 laetum mens mea iam putabit esse.
 Consumptus male debilisque vivam:
 plus quam dimidium mei recessit.

114

Nullum opus exurgit quod non annosa vetustas
 expugnet, quod non vertat iniqua dies,
 tu licet extollas magnos ad sidera montis
 et calidas aequas marmore pyramidas.
 Ingenio mors nulla nocet, vacat undique tutum: 5
 inlaesum semper carmina nomen habent.

M. ANNAEVS LVCANVS

115

Iam gelidas Caesar cursu superaverat Alpīs
 ingentisque animo motus bellumque futurum
 ceperat. Vt ventum est parvi Rubiconis ad undas,
 ingens visa duci patriae trepidantis imago
 clara per obscuram vultu maestissima noctem, 5
 turrigero canos effundens vertice crinis,
 caesarie lacera nudisque astare lacertis,
 et gemitu permixta loqui: 'Quo tenditis ultra?
 Quo fertis mea signa, viri? Si iure venitis,
 si cives, huc usque licet.' Tum perculit horror 10
 membra ducis, riguere comae, gressumque coercens
 languor in extrema tenuit vestigia ripa.
 Mox ait: 'O magnae qui moenia prospicis urbis

Tarpeia de rupe, Tonans, Phrygiique Penates
 gentis Iuleae et rapti secreta Quirini 15
 et residens celsa Latiaris Iuppiter Alba
 Vestalesque foci summique o numinis instar,
 Roma, fave coeptis; non te furialibus armis
 persequor; en adsum victor terraque marique
 Caesar, ubique tuus—liceat modo nunc quoque—miles. 20
 Ille erit, ille nocens, qui me tibi fecerit hostem.
 Inde moras solvit belli tumidumque per amnem
 signa tulit propere; sicut squalentibus arvis
 aestiferae Libyes viso leo comminus hoste
 subsedit dubius, totam dum colligit iram; 25
 mox ubi se saevae stimulavit verbera caudae
 erexitque iubas et vasto murmur hiatu
 infremuit, tum, torta levis si lancea Mauri
 haereat aut latum subeant venabula pectus,
 per ferrum tanti securus vulneris exit. 30
 Fonte cadit modico parvisque impellitur undis
 puniceus Rubicon, cum fervida canduit aestas,
 perque imas serpit vallis et Gallica certus
 limes ab Ausoniis disternit arva colonis.
 Tunc viris praebat hiems, atque auxerat undas 35
 tertia iam gravido pluvialis Cynthia cornu,
 et madidis Euri resolutae flatibus Alpes.
 Primus in obliquum sonipes opponitur amnem
 excepturus aquas; molli tum cetera rumpit
 turba vado facilis iam fracti fluminis undas. 40
 Caesar, ut adversam superato gurgite ripam
 attigit, Hesperiae vetitis et constitit arvis,
 'Hic,' ait, 'hic pacem temerataque iura relinquo;
 te, Fortuna, sequor; procul hinc iam foedera sunt.
 Credidimus fati, utendum est iudice bello.' 45

P. PAPINIVS STATIVS

116

Psittace, dux volucrum, domini facunda voluptas,
 humanae sollers imitator, psittace, linguae,
 quis tua tam subito praecludit murmura fato?
 Hesternas, miserande, dapes moriturus inisti
 nobiscum, et gratae carpentem munera mensae 5
 errantemque toris mediae plus tempore noctis
 vidimus. Adfatus etiam meditataque verba
 reddideras. At nunc aeterna silentia Lethes
 ille canorus habes. Cedat Phaëthontia vulgi
 fabula: non soli celebrant sua funera cycni. 10
 A tibi quanta domus rutila testudine fulgens,
 conexusque ebori virgarum argenteus ordo,
 argutumque tuo stridentia limina cornu!
 Heu querulae iam sponte fores! Vacat ille beatus
 carcer et angusti nusquam convicia tecti! 15
 Huc doctae stipentur aves quis nobile fandi
 ius natura dedit: plangat Phoebeius ales
 auditasque memor penitus dimittere voces
 sturnus et Aonio versae certamine picae,
 quique refert iungens iterata vocabula perdix, 20
 et quae Bistonio queritur soror orba cubili:
 ferte simul gemitus cognataque ducite flammis
 funera, et hoc cunctae miserandum addiscite carmen:
 'Occidit aëriae celeberrima gloria gentis
 psittacus, ille plagae viridis regnator Eoae; 25
 quem non gemmata volucris Iunonia cauda
 vinceret aspectu, gelidi non Phasidis ales,
 nec quas humenti Numidae rapuere sub Austro.'
 Ille salutator regum nomenque locutus

Caesareum et queruli quondam vice functus amici, 30
 nunc conviva levis monstrataque reddere verba
 tam facilis! Quo tu, Melior dilecte, recluso
 numquam solus eras. At non inglorius umbris
 mittitur: Assyrio cineres adolentur amomo
 et tenues Arabum respirant gramine plumae 35
 Sicaniisque crocis; senio nec fessus inert
 scandet odoratos Phoenix felicior ignis.

117

Crimine quo merui, iuvenis placidissime divum,
 quoque errore miser, donis ut solus egerem,
 Somne, tuis? Tacet omne pecus volucresque feraeque
 et simulant fessos curvata cacumina somnos, 5
 nec trucibus fluviis idem sonus; occidit horror
 aequoris, et terris maria acclinata quiescunt.
 Septima iam rediens Phoebe mihi respicit aegras
 stare genas; totidem Oetaeae Paphiaeque reident
 lampades et totiens nostros Tithonia questus
 praeterit et gelido spargit miserata flagello. 10
 Vnde ego sufficiam? Non si mihi lumina mille,
 quae sacer alterna tantum statione tenebat
 Argus et haud umquam vigilabat corpore toto.
 At nunc heus aliquis longa sub nocte puellae
 brachia nexa tenens ultro te, Somne, repellit. 15
 Inde veni: nec te totas infundere pennas
 luminibus compello meis—hoc turba precetur
 laetior—extremo me tange cacumine virgae,
 sufficit, aut leviter suspenso poplite transi.

M. VALERIVS MARTIALIS

118

Petit Gemellus nuptias Maronillae
 et cupit et instat et precatur et donat.
 Adeone pulchra est? Immo foedius nil est.
 Quid ergo in illa petitur et placet? Tussit.

119

Casta suo gladium cum traderet Arria Paeto,
 quem de visceribus strinxerat ipsa suis,
 'Si qua fides, vulnus quod feci non dolet,' inquit,
 'sed quod tu facies, hoc mihi, Paete, dolet.'

120

Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare:
 hoc tantum possum dicere, non amo te.

121

Quem recitas meus est, o Fidentine, libellus:
 sed male cum recitas, incipit esse tuus.

122

Nuper erat medicus, nunc est vispillo Diaulus:
 quod vispillo facit, fecerat et medicus.

123

Quod fronte Selium nubila vides, Rufe,
 quod ambulator porticum terit seram,
 lugubre quiddam quod tacet piger vultus,
 quod paene terram nasus indecens tangit,
 quod dextra pectus pulsat et comam vellit:

non ille amici fata luget aut fratris,
 uterque natus vivit et precor vivat,
 salva est et uxor sarcinaeque servique,
 nihil colonus vilicusque decoxit.
 Maeroris igitur causa quae? Domi cenat. 10

124

Zoilus aegrotat: faciunt hanc stragula febrem.
 Si fuerit sanus, cocchina quid facient?
 Quid torus a Nilo, quid Sidone tinctus olenti?
 Ostendit stultas quid nisi morbus opes?
 Quid tibi cum medicis? Dimitte Machaonas omnis. 5
 Vis fieri sanus? Stragula sume mea.

125

Vnguentum, fateor, bonum dedisti
 convivis here, sed nihil scidisti.
 Res salsa est bene olere et esurire.
 Qui non cenat et ungitur, Fabulle,
 hic vere mihi mortuus videtur. 5

126

Si temperari balneum cupis fervens,
 Faustine, quod vix Iulianus intraret,
 roga, lavetur, rhetorem Sabineium.
 Neronianas hic refrigerat thermas.

127

Empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducentis:
 abstulit hanc nimium casus in urbe frequens.
 Conlatum est decies. Rogo, non potes ipse videri
 incendisse tuam, Tongiliane, domum?

128

Quid recitaturus circumdas vellera collo?
 Conveniunt nostris auribus ista magis.

129

Edictum domini deique nostri,
 quo subsellia certiora fiunt
 et puros eques ordines recepit,
 dum laudat modo Phasis in theatro,
 Phasis purpureis ruber lacernis, 5
 et iactat tumido superbus ore:
 'Tandem commodius licet sedere,
 nunc est reddita dignitas equestris;
 turba non premimur nec inquinamur:'
 haec et talia dum refert supinus, 10
 illas purpureas et arrogantis
 iussit surgere Leitus lacernas.

130

Languebam: sed tu comitatus protinus ad me
 venisti centum, Symmache, discipulis.
 Centum me tetigere manus Aquilone gelatae:
 non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

131

Hanc tibi, Fronto pater, genetrix Flaccilla, puellam
 oscula commendo deliciasque meas,
 parvula ne nigras horrescat Erotion umbras
 oraque Tartarei prodigiosa canis.
 Impletura fuit sextae modo frigora brumae, 5
 vixisset totidem ni minus illa dies.

Inter tam veteres ludat lasciva patronos
 et nomen blaeso garriat ore meum.
 Mollia non rigidus caespes tegat ossa, nec illi,
 terra, gravis fueris: non fuit illa tibi. 10

132

Thais habet nigros, niveos Laecania dentis.
 Quae ratio est? Emptos haec habet, illa suos.

133

Vidissem modo forte cum sedentem
 solum te, Labiene, tris putavi.
 Calvae me numerus tuae fefellit:
 sunt illinc tibi, sunt et hinc capilli,
 quales vel puerum decere possint. 5
 Nudum est in medio caput, nec ullus
 in longa pilus area notatur.
 Hic error tibi profuit Decembri,
 tum, cum prandia misit Imperator:
 cum panariolis tribus redisti. 10
 Talem Geryonem fuisse credo.
 Vites, censeo, porticum Philippi:
 si te viderit Hercules, peristi.

134

Cui tradas, Lupe, filium magistro,
 quaeris sollicitus diu rogasque.
 Omnis grammaticosque rhetorasque
 devites, moneo: nihil sit illi
 cum libris Ciceronis aut Maronis. 5
 Famae Tutilium suae relinuas.
 Si versus facit, abdicet poetam.

Artis discere vult pecuniosas?
 Fac discat citharoedus aut choraules;
 si duri puer ingeni videtur, 10
 praeconem facias vel architectum.

135

Cras te victurum, cras dicis, Postume, semper.
 Dic mihi, cras istud, Postume, quando venit?
 Quam longe cras istud, ubi est, aut unde petendum?
 Numquid apud Parthos Armeniosque latet?
 Iam cras istud habet Priami vel Nestoris annos. 5
 Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?
 Cras vives? Hodie iam vivere, Postume, serum est:
 ille sapit, quisquis, Postume, vixit heri.

136

Eutrapelus tonsor dum circuit ora Luperci
 expingitque genas, altera barba subit.

137

Emit lacernas milibus decem Bassus
 Tyrias coloris optimi. Lucrifecit.
 'Adeo bene emit?' inquis. Immo non solvet.

138

Miraris veteres, Vacerra, solos,
 nec laudas nisi mortuos poetas.
 Ignoscas petimus, Vacerra: tanti
 non est, ut placeam tibi, perire.

139

Inscripsit tumulis septem scelerata virorum
 se fecisse Chloe. Quid pote simplicius?

140

Quid tibi nobiscum est, ludi scelerate magister,
 invisum pueris virginibusque caput?
 Nondum cristati rupere silentia galli:
 murmure iam saevo verberibusque tonas.
 Tam grave percussis incudibus aera resultant, 5
 causicum medio cum faber aptat equo;
 mitior in magno clamor furit amphitheatro,
 vincenti parmae cum sua turba favet.
 Vicini somnum—non tota nocte—rogamus:
 nam vigilare leve est, pervigilare grave est. 10
 Discipulos dimitte tuos. Vis, garrule, quantum
 accipis ut clames, accipere ut taceas?

141

Ludi magister, parce simplici turbae.
 Sic te frequentes audiant capillati
 et delicatae diligat chorus mensae,
 nec calculator nec notarius velox
 maiore quisquam circulo coronetur. 5
 Albae leone flammeo calent luces
 tostamque fervens Iulius coquit messem.
 Cirrata loris horridis Scythae pellis,
 qua vapulavit Marsyas Celaenaeus,
 ferulaeque tristes, sceptrata paedagogorum, 10
 cessent et Idus dormiant in Octobris:
 aestate pueri si valent, satis discunt.

142

Hermogenes tantus mapparum, Pontice, fur est,
 quantus nummorum vix, puto, Massa fuit;
 tu licet observes dextram teneasque sinistram,
 inveniet, mappam qua ratione trahat.

Cervinus gelidum sorbet sic halitus anguem, casuras alte sic rapit Iris aquas.	5
Nuper cum Myrino peteretur missio laeso, subduxit mappas quattuor Hermogenes; cretatam praetor cum vellet mittere mappam, praetori mappam surpuit Hermogenes.	10
Attulerat mappam nemo, dum furta timentur: mantile e mensa surpuit Hermogenes.	
Hoc quoque si deerit, medios discingere lectos mensarumque pedes non timet Hermogenes.	
Quamvis non modico caleant spectacula sole, vela reducuntur, cum venit Hermogenes.	15
Festinant trepidi substringere carbasa nautae, ad portum quotiens paruit Hermogenes.	
Linigeri fugiunt calvi sistrataque turba, inter adorantis cum stetit Hermogenes.	20
Ad cenam Hermogenes mappam non attulit unquam, a cena semper rettulit Hermogenes.	

D. IVNIVS IVVENALIS

143

Quid, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi inveniet quisquam sublimius? Arma tamen vos nocturna et flammis domibus templisque paratis, ut braccatorum pueri Senonumque minores, ausi quod liceat tunica punire molesta.	5
Sed vigilat consul vexillaque vestra coerces; hic novus Arpinas, ignobilis et modo Romae municipalis eques, galeatum ponit ubique praesidium attonitis et in omni monte laborat. Tantum igitur muros intra toga contulit illi	10

nominis ac tituli, quantum in Leucade, quantum
Thessaliae campis Octavius abstulit udo
caedibus adsiduis gladio, sed Roma parentem,
Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.

144

Expende Hannibalem: quot libras in duce summo
invenies? Hic est quem non capit Africa Mauro
percutta Oceano Niloque admota tepenti
rursus ad Aethiopum populos aliosque elephantos?
Additur imperiis Hispania, Pyrenaeum 5
transilit. Opposuit natura Alpemque nivemque:
diducit scopulos et montem rumpit aceto.
Iam tenet Italiam, tamen ultra pergere tendit.
'Actum,' inquit, 'nihil est, nisi Poeno milite portas
frangimus et media vexillum pono Subura.' 10
O qualis facies et quali digna tabella,
cum Gaetula ducem portaret belua luscum!
Exitus ergo quis est? O gloria, vincitur idem
nempe et in exilium praeceps fugit atque ibi magnus
mirandusque cliens sedet ad praetoria regis, 15
donec Bithyno libeat vigilare tyranno.
Finem animae, quae res humanas miscuit olim,
non gladii, non saxa dabunt nec tela, sed ille
Cannarum vindex et tanti sanguinis ultor
anulus. I demens et saevas curre per Alpibus, 20
ut pueris placeas et declamatio fias.
Vnus Pellaeo iuveni non sufficit orbis,
aestuatur infelix angusto limite mundi
ut Gyari clausus scopulis parvaque Seripho;
cum tamen a figulis munitam intraverit urbem, 25
sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur
quantula sint hominum corpuscula.

145

Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
 permittes ipsis expendere numinibus quid
 conveniat nobis rebusque sit utile nostris.
 Nam pro iucundis aptissima quaeque dabunt di;
 carior est illis homo quam sibi. Nos animorum 5
 impulsu et caeca magnaue cupidine ducti
 coniugium petimus partumque uxoris, at illis
 notum qui pueri qualisque futura sit uxor.
 Vt tamen et poscas aliquid voveasque sacellis
 exta et candiduli divina tomacula porci, 10
 orandum est ut sit mens sana in corpore sano.
 Fortem posce animum mortis terrore carentem,
 qui spatium vitae extremum inter munera ponat
 naturae, qui ferre queat quoscumque labores,
 nesciat irasci, cupiat nihil, et potiores 15
 Herculis aerumnas credat saevosque labores
 et venere et cenis et pluma Sardanapalli.
 Monstro quod ipse tibi possis dare; semita certe
 tranquillae per virtutem patet unica vitae.
 Nullum numen habes si sit prudentia, nos te, 20
 nos facimus, Fortuna, deam caeloque locamus.

P. AELIVS HADRIANVS IMPERATOR

146

Animula vagula blandula,
 hospes comesque corporis,
 quae nunc abibis in loca
 pallidula rigida nudula,
 nec ut soles dabis iocos! 5

ANNIVS FLORVS

147

Quando ponebam novellas arbores mali et piri
 cortici summae notavi nomen ardoris mei.
 Nulla fiet inde finis vel quies cupidinis:
 crescit arbor, gliscit ardor: animus implet litteras.

148

'Sperne mores transmarinos, mille habent officias.
 Cive Romano per orbem nemo vivit rectius.
 Quippe malim unum Catonem quam trecentos Socratas.'
 Nemo non haec vera dicit: nemo non contra facit.

INCERTVS AVCTOR

149

Heia, viri, nostrum reboans echo sonet heia!
 Arbiter effusi late maris ore sereno
 placatum stravit pelagus posuitque procellam,
 edomitique vago sederunt pondere fluctus.

Heia, viri, nostrum reboans echo sonet heia! 5
 Adnisu parili tremat ictibus acta carina.
 Nunc dabit arridens pelago concordia caeli
 ventorum motu praegnanti currere velo.

Heia, viri, nostrum reboans echo sonet heia!
 Aequora prora secet delphinis aemula saltu 10
 atque gemat largum, promat seseque lacertis,
 pone trahens canum deducat et orbita sulcum.

Heia, viri, nostrum reboans echo sonet heia!

Persultet Phorci chorus aequora: nos tamen heia.

Convulsum remis spumet mare: nos tamen heia. 15

Vocibus adsiduis litus resonet 'tamen heia.'

INCERTVS AVCTOR PERVIGILIVM VENERIS

150

Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras
amet!

Ver novum; ver iam canorum; ver renatus orbis est.

Vere concordant amores, vere nubunt alites,

et nemus comam resolvit de maritis imbribus.

Cras amorum copulatrix inter umbras arborum 5

implicat casas virentis de flagello myrteo,

cras Dione iura dicet fulta sublimi throno.

Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras
amet!

Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floridis,

ipsa surgentis papillas de Favoni spiritu 10

urget in nodos tepentis, ipsa roris lucidi,

noctis aura quem relinquit, spargit umentis aquas.

En micant lacrimae trementes de caduco pondere;

gutta praeceps orbe parvo sustinet casus suos.

En pudorem florulentae prodiderunt purpurae; 15

umor ille quem serenae astra rorant noctibus

mane virgines papillas solvit umentis peplo.

Ipsa iussit mane totae virgines nubant rosae;

facta Cypridis de cruore deque Amoris osculis

deque gemmis deque flammis deque solis purpuris, 20

cras ruborem qui latebat veste tectus ignea

unico marita nodo non pudebit solvere.

Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras
amet!

Ipsa Nymphas diva luco iussit ire myrteo.

It puer comes puellis; nec tamen credi potest 25

esse Amorem feriatum, si sagittas vexerit:

'Ite, Nymphae, posuit arma, feriatu est Amor:

iussus est inermis ire, nudus ire iussus est,

neu quid arcu neu sagitta neu quid igne laederet.'

Sed tamen, Nymphae, cavete, quod Cupido pulcher

est; 30

totus est in armis idem quando nudus est Amor.

Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras
amet!

Compari Venus pudore mittit ad te virgines:

'Vna res est quam rogamus; cede, virgo Delia,
ut nemus sit incruentum de ferinis stragibus, 35

et recentibus virentis ducat umbras floribus.

Ipsa vellet te rogare, si pudicam flecteret,

ipsa vellet ut venires, si deceret virginem.

Iam tribus choros videres feriantis noctibus
congreges inter catervas ire per saltus tuos 40

floreas inter coronas, myrteas inter casas.

Nec Ceres nec Bacchus absunt nec poetarum deus.

Detinenter tota nox est perviglanda canticis:

regnet in silvis Dione: tu recede, Delia.'

Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras
amet! 45

Iussit Hyblaeis tribunal stare diva floribus;

praeses ipsa iura dicet, adsidebunt Gratiae.

Hybla, totos funde flores, quidquid annus attulit;

Hybla, florum sume vestem, quantus Ennae campus
est.

- Ruris hic erunt puellae vel puellae montium 50
 quaeque silvas quaeque lucos quaeque fontis inco-
 lunt:
 iussit omnis adsidere mater alitis dei,
 iussit et nudo puellas nil Amori credere.
 Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras
 amet!
- Cras erit cum primus aether copulavit nuptias. 55
 Vt pater totum crearet vernis annum nubibus,
 in sinum maritus imber fluxit almae coniugis,
 unde fetus mixtus omnis aleret magno corpore.
 Tunc cruore de superno spumeo et ponti globo
 caeruleas inter catervas, inter et bipedes equos, 60
 fecit undantem Dionen de maritis imbribus.
 Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras
 amet!
- Ipsa venas atque mentem permeanti spiritu
 intus occultis gubernat procreatrix viribus,
 perque caelum perque terras perque pontum subdi-
 tum 65
 pervium sui teporem seminali tramite
 imbuit iussitque mundum nosse nascendi vias.
 Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras
 amet!
- Ipsa Troianos nepotes in Latinos transtulit,
 ipsa Laurentem puellam coniugem nato dedit, 70
 moxque Marti de sacello dat pudicam virginem;
 Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias,
 unde Ramnis et Quiritis, proque prole posterum
 Romulum patrem crearet et nepotem Caesarem.
 Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras
 amet! 75

Rura fecundat voluptas, rura Venerem sentiunt;
 ipse Amor, puer Dionae, rure natus dicitur.
 Hunc ager cum parturiret ipsa suscepit sinu,
 ipsa florum delicatis educavit osculis.

Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras
 amet! 80

Ecce iam subter genestas explicant tauri latus,
 quisque tutus quo tenetur coniugali foedere;
 subter umbras cum maritis ecce balantum greges,
 et canoras non tacere diva iussit alites.

Iam loquaces ore rauco stagna cycni perstrepunt: 85
 adsonat Terei puella subter umbram populi,
 ut putes motus amoris ore dici musico
 et neges queri sororem de marito barbaro.

Illa cantat: nos tacemus. Quando ver venit meum?
 Quando fiam uti chelidon ut tacere desinam? 90

Perdidi Musam tacendo nec me Phoebus respicit:
 sic Amyclas cum tacerent perdidit silentium.

Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras
 amet!

PENTADIUS

151

Sentio, fugit hiems, Zephyrisque animantibus orbem
 iam tepet Eurus aquis; sentio, fugit hiems.

Parturit omnis ager, persentit terra calores,
 germinibusque novis parturit omnis ager.

Laeta virecta tument, foliis sese induit arbor, 5
 vallibus apricis laeta virecta tument.

Iam Philomela gemit modulis Ityn, impia mater,
 oblatum mensis iam Philomela gemit.

- Monte tumultus aquae properat per levia saxa,
 et late resonat monte tumultus aquae. 10
- Floribus innumeris pingit sola flatus Eoi,
 Tempeaque exhalant floribus innumeris.
- Per cava saxa sonat pecudum mugitibus Echo,
 bisque repulsa iugis per cava saxa sonat.
- Vitea musta tument vicinas iuncta per ulmos, 15
 fronde maritata vitea musta tument.
- Nota tigilla linit iam garrula luce chelidon:
 dum recolit nidos, nota tigilla linit.
- Sub platano viridi iucundat somnus in umbra,
 sartaque texuntur sub platano viridi. 20
- Tunc quoque dulce mori, tunc fila recurrите fusis,
 inter et amplexus tunc quoque dulce mori.

TIBERIANVS

152

- Amnis ibat inter arva valle fusus frigida,
 luce ridens calculorum flore pictus herbido.
 Caerulas superne laurus et virecta myrtea
 leniter motabat aura blandiente sibilo.
- Subter autem molle gramen flore adulto creverat: 5
 tum croco solum rubebat et lucebat liliis
 et nemus fragrabat omne violarum de spiritu.
- Inter ista dona veris gemmeasque gratias
 omnium regina odorum vel colorum Lucifer
 aureo flore eminebat cura Cypridis rosa. 10
- Roscidum nemus rigebat inter uda gramina:
 fonte crebro murmurabant hinc et inde rivuli,
 quae fluenta labibunda guttis ibant lucidis.
- Antra muscus et virentes intus myrtus vinxerant.

Has per umbras omnis ales plus canora quam putes 15
 cantibus vernis strepebat et susurris dulcibus;
 hic loquentis murmur amnis concinebat frondibus,
 quas melos vocalis aurae, musa Zephyri, moverat.
 Sic euntem per virecta pulchra odora et musica
 ales amnis aura lucus flos et umbra iuverat. 20

POMPILIANVS

153

Defensor patriae, iuvenum fortissimus, Hector,
 qui murus miseris civibus alter erat,
 occubuit telo violenti victus Achillis;
 occubere simul spesque salusque Phrygum.
 Hunc ferus Aeacides circum sua moenia traxit, 5
 quae iuvenis manibus texerat ante suis.
 O quantos Priamo lux attulit ista dolores!
 Quos fletus Hecuba, quos dedit Andromacha!
 Sed raptum pater infelix, auroque repensum
 condidit, et maerens hac tumulavit humo. 10

D. MAGNVS AVSONIVS

154

Mane iam clarum reserat fenestras,
 iam strepit nidis vigilax hirundo:
 tu velut primam mediamque noctem,
 Parmeno, dormis.

Dormiunt glires hiemem perennem, 5
 sed cibo parcunt: tibi causa somni,
 multa quod potas nimiaque caedis
 mole saginam.

Inde nec flexas sonus intrat auris,
 et locum mentis sopor altus urget, 10
 nec coruscantis oculos lacesunt
 fulgura lucis.

Annuam quondam iuveni quietem,
 noctis et lucis vicibus manentem,
 fabulae fingunt, cui Luna somnos 15
 continuarit.

Surge, nugator, lacerande virgis:
 surge, ne longus tibi somnus, unde
 non times, detur: rape membra molli,
 Parmeno, lecto. 20

Fors et haec somnum tibi cantilena
 Sapphico suadet modulata versu?
 Lesbiae depelle modum quietis,
 acer iambe.

155

'Cui dono lepidum novum libellum?'
 Veronensis ait poeta quondam
 inventoque dedit statim Nepoti.
 At nos inlepidum, rudem libellum,
 burras, quisquilias ineptiasque, 5
 credemus gremio cui fovendum?
 Inveni, trepidae silete nugae,
 nec doctum minus et magis benignum,
 quam quem Gallia praebuit Catullo.
 Hoc nullus mihi carior meorum, 10
 quem pluris faciunt novem sorores,
 quam cunctos alios Marone dempto.
 'Pacatum haud dubie, poeta, dicis?'

Ipsè est. Intrepide volate, versus,
 et nidum in gremio fovete tuto. 15
 Hic vos diligere, hic volet tueri;
 ignoscenda teget, probata tradet:
 post hunc iudicium timete nullum. Vale.

156

Vane, quid adfectas faciem mihi ponere, pictor,
 ignotamque oculis sollicitare deam?
 Aëris et linguae sum filia, mater inanis
 indicii, vocem quae sine mente gero.
 Extremos pereunte modos a fine reducens, 5
 ludificata sequor verba aliena meis.
 Auribus in vestris habito penetrabilis Echo:
 et, si vis similem pingere, pinge sonum.

157

Vxor, vivamus, quod viximus, et teneamus
 nomina, quae primo sumpsimus in thalamo:
 nec ferat ulla dies, ut commutemur in aevo;
 quin tibi sim iuvenis tuque puella mihi.
 Nestore sim quamvis provecior aemulaque annis 5
 vincas Cumanam tu quoque Deïphoben;
 nos ignoremus, quid sit matura senectus.
 Scire aevi meritum, non numerare decet.

MODESTINVS

158

Forte iacebat Amor victus puer alite somno
 myrti inter frutices pallentis roris in herba.
 Hunc procul emissae tenebrosa Ditis ab aula
 circumeunt animae, saeva face quas cruciarat.
 'Ecce meus venator,' ait, 'hunc,' Phaedra, 'ligemus!' 5

Crudelis, 'Crinem,' clamabat Scylla, 'metamus!
 Colchis et orba Procne, 'Numerosa caede necemus!
 Didon et Canace, 'Saevo gladio perimamus!
 Myrrha, 'Meis ramis,' Euhadneque, 'igne crememus!
 'Hunc,' Arethusa inquit Byblisque, 'in fonte necemus!' 10
 Ast Amor evigilans dixit, 'Mea penna, volemus.'

CLAVDIVS CLAVDIANVS

159

Felix, qui patriis aevum transegit in agris,
 ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem;
 qui baculo nitens, in qua reptavit arena,
 unius numerat saecula longa casae;
 ingentem meminit parvo qui germine quercum, 5
 aequaevumque videt consenuisse nemus;
 proxima cui nigris Verona remotior Indis,
 Benacumque putat litora rubra lacum.
 Illum non vario traxit fortuna tumultu,
 nec bibit ignotas mobilis hospes aquas. 10
 Non freta mercator tremuit, non classica miles;
 non rauci litis pertulit ille fori.
 Indocilis rerum, vicinae nescius urbis,
 aspectu fruitur liberiore poli.
 Frugibus alternis, non consule, computat annum; 15
 autumnum pomis, ver sibi flore notat.
 Idem condit ager soles idemque reducit,
 metiturque suo rusticus orbe diem.
 Sed tamen indomitae vires, firmisque lacertis
 aetas robustum tertia cernit avum. 20
 Erret et extremos alter scrutetur Hiberos:
 plus habet hic vitae, plus habet ille viae.

AVIANVS

160

Metiri se quemque decet propriisque iuari
 laudibus, alterius nec bona ferre sibi,
 ne detracta gravem faciant miracula risum,
 coeperit in solitis cum remanere modis.
 Exuvias asinus defuncti forte leonis 5
 repperit, et spoliis induit ora novis,
 aptavitque suis incongrua tegmina membris,
 et miserum tanto pressit honore caput.
 Ast ubi terribilis mimo circumstetit horror
 pigraque praesumptus venit in ossa vigor, 10
 mitibus ille feris communia pabula calcans
 turbabat pavidas per sua rura boves.
 Rusticus hunc magna postquam deprendit ab aure,
 correptum stimulis verberibusque domat;
 et simul abstracto denudans corpora tergo 15
 increpat his miserum vocibus ille pecus:
 'Forsitan ignotos imitato murmure fallas;
 at mihi, qui quondam, semper asellus eris.'

PHOCAS

161

O vetustatis veneranda custos,
 regios actus simul et fugacis
 temporum cursus docilis referre,
 aurea Clio,

tu nihil magnum sinis interire, 5
 nil mori clarum pateris, reservans
 posteris prisci monumenta saeculi
 condita libris.

Sola fucatis variare dictis
 paginas nescis, sed aperta quidquid 10
 veritas prodit, recinis per aevum
 simplice lingua.

Tu senescentis titulos avorum
 flore durantis reparas iuventae;
 militat virtus tibi: te notante 15
 crimina pallent.

Tu fori turbas strepitusque litis
 effugis dulci moderata cantu,
 nec retardari pateris loquellas
 compede metri. 20

His fave dictis: retegenda vita est
 vatis Etrusci, modo qui perenne
 Romulae voci decus arrogavit
 carmine sacro.

ANICIUS MANLIUS BOETHIUS

162

O stelliferi conditor orbis,
 qui perpetuo nixus solio
 rapido caelum turbine versas,
 legemque pati sidera cogis;
 ut nunc pleno lucida cornu, 5

totis fratris obvia flammis,
condat stellas luna minores;
nunc obscuro pallida cornu,
Phoebo propior, lumina perdat;
et qui primae tempore noctis
agit algentis Hesperus ortus,
solitas iterum mutet habenas,
Phoebi pallens Lucifer ortu. 10
Tu frondifluae frigore brumae
stringis lucem breviora mora: 15
tu, cum fervida venerit aestas,
agilis noctis dividis horas.
Tua vis varium temperat annum,
ut, quas Boreae spiritus aufert,
revehat mitis Zephyrus frondis,
quaeque Arcturus semina vidit,
Sirius altas urat segetes. 20
Nihil antiqua lege solutum
linquit propriae stationis opus.
Omnia certo fine gubernans, 25
hominum solos respuis actus
merito rector cohibere modo.
Nam cur tantas lubrica versat
fortuna vicis? Premit insontis
debita sceleri noxia poena: 30
at perversi resident celso
mores solio, sanctaque calcant
iniusta vice colla nocentes.
Latet obscuris condita virtus
clara tenebris, iustusque tulit 35
crimen iniqui.
Nil periuria, nil nocet ipsis

fraus mendaci compta colore.
 Sed cum libuit viribus uti,
 quos innumeri metuunt populi, 40
 summos gaudent subdere reges.
 O iam miseras respice terras,
 quisquis rerum foedera nectis.
 Operis tanti pars non vilis
 homines quatimur fortunae sale. 45
 Rapidos, rector, comprime fluctus,
 et, quo caelum regis immensum,
 firma stabilis foedere terras.

163

Quod mundus stabili fide
 concordis variat vicis;
 quod pugnancia semina
 foedus perpetuum tenent;
 quod Phoebus roseum diem 5
 curru provehit aureo,
 ut quas duxerit Hesperus
 Phoebe noctibus imperet,
 ut fluctus avidum mare
 certo fine coerceat, 10
 ne terris liceat vagis
 latos tendere terminos;
 hanc rerum seriem ligat,
 terras ac pelagus regens,
 et caelo imperitans amor. 15
 Hic si frena remiserit,
 quidquid nunc amat invicem,
 bellum continuo geret;
 et quam nunc socia fide

pulchris motibus incitant, 20
 certent solvere machinam.
 Hic sancto populos quoque
 iunctos foedere continet:
 hic et coniugii sacrum
 castis nectit amoribus: 25
 hic fidis etiam sua
 dictat iura sodalibus.
 O felix hominum genus,
 si vestros animos amor,
 quo caelum regitur, regat! 30

164

Felix, qui potuit boni
 fontem visere lucidum:
 felix, qui potuit gravis
 terrae solvere vincula.
 Quondam funera coniugis 5
 vates Threicius gemens,
 postquam flebilibus modis
 silvas currere, mobilis
 amnis stare coegerat,
 cum flagrantior intima 10
 fervor pectoris ureret,
 nec qui cuncta subegerant,
 mulcerent dominum modi,
 immitis Superos querens,
 infernas adiit domos. 15
 Illic blanda sonantibus
 chordis carmina temperans,
 quidquid praecipuis deae
 matris fontibus hauserat,

quod luctus dabat impotens, quod luctum geminans amor, deflet, Taenara commovens, et dulci veniam prece umbrarum dominos rogat.	20
Tandem, 'Vincimur,' arbiter umbrarum miserans ait: 'donemus comitem viro emptam carmine coniugem; sed lex dona coerceat, ne, dum Tartara liquerit, fas sit lumina flectere.'	25
Quis legem det amantibus? Maior lex amor est sibi. Heu, noctis prope terminos Orpheus Eurydicen suam vidit, perdidit, occidit.	30
Vos haec fabula respicit, quicumque in superum diem mentem ducere quaeritis. Nam qui Tartareum in specus victus lumina flexerit, quidquid praecipuum trahit perdit, dum videt Inferos.	35
	40

INNOCENTIVS III

165

Veni, Sancte Spiritus,
et emitte caelitus
lucis tuae radium.
Veni, pater pauperum,

veni, dator munerum, 5
 veni, lumen cordium.

Consolator optime,
 dulcis hospes animae,
 dulce refrigerium:
 in labore requies, 10
 in aestu temperies,
 in fletu solatium.

O lux beatissima,
 reple cordis intima
 tuorum fidelium. 15
 Sine tuo numine
 nihil est in homine,
 nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum,
 riga quod est aridum, 20
 sana quod est saucium;
 flecte quod est rigidum,
 fove quod est frigidum,
 rege quod est devium.

Da tuis fidelibus 25
 in te confidentibus
 sacrum septenarium;
 da virtutis meritum,
 da salutis exitum,
 da perenne gaudium. 30

THOMAS A CELANO

166

Dies irae, dies illa
solvat saeculum in favilla,
teste David cum Sibylla.

Quantus tremor est futurus,
quando iudex est venturus,
cuncta stricte discussurus! 5

Tuba, mirum spargens sonum
per sepulcra regionum,
coget omnis ante thronum.

Mors stupebit, et natura,
cum resurget creatura
iudicanti responsura. 10

Liber scriptus proferetur,
in quo totum continetur,
unde mundus iudicetur. 15

Iudex ergo cum sedebit,
quidquid latet, apparebit,
nil inultum remanebit.

Quid sum miser tunc dicturus,
quem patronum rogaturus,
cum vix iustus sit securus? 20

Rex tremendae maiestatis,
qui salvandos salvas gratis,
salva me, fons pietatis!

Recordare, Iesu pie,
quod sum causa tuae viae;
ne me perdas illa die! 25

Quaerens me sedisti lassus,
redemisti crucem passus:
tantus labor non sit cassus! 30

Iuste iudex ultionis,
donum fac remissionis
ante diem rationis!

Ingemisco tamquam reus,
culpa rubet vultus meus:
supplicanti parce, Deus! 35

Qui Mariam absolvisti,
et latronem exaudisti,
mihi quoque spem dedisti.

Preces meae non sunt dignae,
sed tu bonus fac benigne
ne perenni cremer igne. 40

Inter ovis locum praesta,
et ab haedis me sequestra,
statuens in parte dextra. 45

Confutatis maledictis,
flammis acribus addictis,
voca me cum benedictis!

Oro supplex et acclinis,
cor contritum quasi cinis,
gere curam mei finis! 50

Lacrimosa dies illa,
 qua resurget ex favilla
 iudicandus homo reus:
 huic ergo parce, Deus! 55

Pie Iesu, Domine,
 dona eos requie! Amen.

XYSTVS BETVLIVS AVGVSTANVS

167

Beatus ille, qui procul synedriis
 et impiis mortalium
 consessibus et peccatorum compitis
 solutus omni crimine,
 nec occupet cathedras pestilentiae, 5
 caecus malis dogmatibus,
 nec ludicris piorum mentis inficit.
 Felix et ter et amplius,
 totus vacans Dei sacratis legibus,
 eas volutans sedulo 10
 noctis diesque mente versat candida:
 is crescet instar arboris
 ad rivuli ripam sitae perlucidi,
 quae laeta tendens bracchia
 fructus ferens suo rependet tempore, 15
 cui non nocebit Africus,
 non bruma frondibus comas detraxerit;
 huic cuncta sient prospera.
 Non sic tibi, non sic continget, impie;
 sed tu peribis funditus, 20

cum ventus instar pulveris te iactitat
 per aëra atque inania.
 Hinc fit, quod impios arbitrium Dei
 pessumdabit letaliter,
 hircos ab agnis cum pastor seiunxerit, 25
 quem nil latebit uspiam.
 Viam piorum cognitor iustus sciet,
 mittet malos ad Tartara.

INCERTVS AVCTOR

168

Tandem audite me,
 Sionis filiae!
 Aegram respicite,
 dilecto dicite:
 amore vulneror, 5
 amore funeror.

Fulcite floribus
 fessam languoribus;
 stipate citreis
 et malis aureis; 10
 nimis edacibus
 liquesce facibus.

Huc oderiferos,
 huc soporiferos
 ramos depromite, 15
 rogos componite;
 ut phoenix moriar,
 in flammis oriar!

An amor dolor sit,
an dolor amor sit, 20
utrumque nescio.

Hoc unum sentio:
iucundus dolor est,
si dolor amor est.

Quid, amor, crucias? 25
Aufer inducias!

Suavis tyrannus es,
momentum annus est;
tam tarda funera
tua sunt vulnera! 30

Iam vitae stamina
rumpe, o anima!
Ignis ascendere
gestit, et tendere
ad caeli atria: 35
haec mea patria!

INDEX I

- AVIANVS, 160
AVSONIVS, D. MAGNVS, 154-157
BETVLIVS (XYSTVS BETVLIVS AVGVSTANVS), 167
BOETHIVS, ANICIVS MANLIVS, 162-164
CATVLLVS, C. VALERIVS, 23-49
CICERO, M. TVLLIVS, 16
CLAVDIANVS, CLAVDIVS, 159
ENNIVS, Q., 1-14
FLORVS, ANNIVS, 147-148
HADRIANVS (P. AELIVS HADRIANVS IMPERATOR), 146
HORATIVS (Q. HORATIVS FLACCVS), 61-80
INCERTVS AVCTOR, 108, 149, 150, 168
INNOCENTIVS III, 165
IVVENALIS, D. IVNIVS, 143-145
LVCANVS, M. ANNAEVS, 115
LVCILIVS, C., 15
LVCRETIVS (T. LVCRETIVS CARVS), 17-22
MARSVS, DOMITIVS, 84
MARTIALIS, M. VALERIVS, 118-142
MODESTINVS, 158
OVIDIVS (P. OVIDIVS NASO), 88-96
PENTADIVS, 151
PHAEDRVS, 97-107
PHOCAS, 161
POMPILIANVS, 153
PROPERTIVS, SEX., 85-87
SENECA, L. ANNAEVS, 109-114
STATIVS, P. PAPINIVS, 116-117
THOMAS A CELANO, 166
TIBERIANVS, 152
TIBVLLVS, ALBIVS, 81-83
VERGILIVS (P. VERGILIVS MARO), 50-60

INDEX II

Q. ENNIUS

- 1 Annales I, 28 (Vahlen). Et cita cum tremulis
- 2 Annales I, 47. Curantes magna cum cura
- 3 Annales I, 60. O Tite tute
- 4 Annales II, 18. At tuba terribili
- 5 Annales VI, 5. Aio te Aeacida
- 6 Annales VI, 12. 'Nec mi aurum posco
- 7 Annales VII, 14. Haece locutus vocat
- 8 Annales X, 7. Ille vir
- 9 Annales XII, 2. Vnus homo
- 10 Annales XII, 6. Sicut fortis equus
- 11 Incert. 37. Moribus antiquis
- 12 Incert. 50. Et tum sicut equus
- 13 Scenica 319-323. Sed superstitiosi
- 14 Epigram. II. Nemo me lacrimis

C. LVCILIVS

- 15 Saturae XXX, 1326-1338 (Marx). Virtus, Albine

M. TVLLIVS CICERO

- 16 Tusc. I, 42. Dic, hospes, Spartae

T. LVCRETIVS CARVS

- 17 I, 1-30. Aeneadum genetrix
- 18 I, 62-79. Humana ante oculos
- 19 III, 1-30. E tenebris tantis
- 20 III, 894-911. 'Iam iam non domus
- 21 III, 931-977. Denique si vocem
- 22 V, 988-1010. Nec nimio tum

C. VALERIVS CATVLLVS

- 23 I. Cui dono lepidum
- 24 II. Passer, deliciae

- 25 III. Lugete, o Veneres
 26 IV. Phasellus ille
 27 V. Vivamus, mea Lesbia
 28 IX. Verani, omnibus
 29 XII. Marrucine Asini
 30 XIII. Cenabis bene
 31 XXII. Suffenus iste
 32 XXXI. Paene insularum
 33 XXXIV. Dianae sumus
 34 XLV. Acmen Septimius
 35 XLVI. Iam ver egelidos
 36 XLIX. Disertissime Romuli
 37 LI. Ille mi par
 38 LIII. Risi nescio
 39 LXII. Vesper adest
 40 LXX. Nulli se dicit
 41 LXXXVI. Si qua recordanti
 42 LXXXII. Quinti, si tibi vis
 43 LXXXIV. Chommoda dicebat
 44 LXXXV. Odi et amo
 45 LXXXVI. Quintia formosa est
 46 LXXXVII. Nulla potest mulier
 47 XCIII. Nil nimium studeo
 48 CI. Multas per gentis
 49 CIX. Iucundum, mea vita

P. VERGILIUS MARO

- 50 Copa. Copa Surisca
 51 Catalepton (Priapea) III. Hunc ego
 52 Catalepton IV. Quocumque ire ferunt
 53 Catalepton X. Sabinus ille
 54 Catalepton XIV. Si mihi susceptum
 55 Bucol. I, 1-25. Tityre, tu patulae
 56 Bucol. IV. Sicelides Musae
 57 Bucol. V, 1-44. Cur non, Mopse
 58 Bucol. VIII, 17-109. Nascere, praeque diem
 59 Georg. II, 136-176. Sed neque Medorum
 60 Georg. II. 458-515. O fortunatos nimium

Q. HORATIVVS FLACCVS

- 61 Carm. I, 1. Maecenas atavis
 62 Carm. I, 3. Sic te diva potens
 63 Carm. I, 5. Quis multa gracilis
 64 Carm. I, 8. Lydia, dic, per omnis
 65 Carm. I, 9. Vides ut alta stet
 66 Carm. I, 11. Tu ne quaesieris
 67 Carm. I, 14. O navis, referent
 68 Carm. I, 22. Integer vitae
 69 Carm. I, 38. Persicos odi
 70 Carm. II, 3. Aequam memento
 71 Carm. II, 10. Rectius vives, Licini
 72 Carm. II, 14. Eheu fugaces, Postume
 73 Carm. III, 9. 'Donec gratus eram
 74 Carm. III, 13. O fons Bandusiae
 75 Carm. III, 26. Vixi puellis nuper
 76 Carm. III, 30. Exegi monumentum
 77 Carm. IV, 7. Diffugere nives
 78 Epod. II. 'Beatus ille, qui procul
 79 Epod. XVI, 41-66. Nos manet Oceanus
 80 Sat. I, 9. Ibam forte Via Sacra

ALBIVS TIBVLLVS

- 81 I, 1. Divitias alius fulvo
 82 I, 3. Ibitis Aegaeas sine me
 83 II, 2. Dicamus bona verba

DOMITIVS MARSVS

- 84 F. P. R. p. 348 (Baehrens). Te quoque Vergilio

SEX. PROPERTIVS

- 85 I, 18 (Rothstein). Haec certe deserta loca
 86 II, 34, 59-80. Me iuuet hesternis
 87 IV, 11, 1-8; 73-84. Desine, Paulle, meum

P. OVIDIVS NASO

- 88 Amores I, 1. Qui modo Nasonis
 89 Amores I, 15. Quid mihi, Livor
 90 Amores III, 15. Quaere novum vatem
 91 Fasti V, 663-692. Clare nepos Atlantis
 92 Metamorphoses V, 339-345. Calliope querulas
 93 Metamorphoses X, 560-680. 'Forsitan audieris
 94 Metamorphoses XI, 592-630. Est prope Cimmerios
 95 Metamorphoses XII, 39-63. Orbe locus medio
 96 Metamorphoses XV, 871-879. Iamque opus exegi

PHAEDRVS

- 97 I, Prologus. Aesopus auctor
 98 I, 1. Ad rivum eundem
 99 I, 2. Athenae cum florent
 100 I, 6. Vicini furis celebris
 101 I, 13. Qui se laudari
 102 I, 24. Inops, potentem
 103 I, 26. Nulli nocendum
 104 III, 7. Quam dulcis sit
 105 III, 14. Puerorum in turba
 106 IV, 3. Fame coacta vulpes
 107 V, 5. Pravo favore labi

INCERTVS AVCTOR

- 108 C. I. L. VI, 12652. Tu qui secreta

L. ANNAEVVS SENECA

- 109 Herc. Fur. 125-158. Iam rara micant
 110 Troades 371-408. Verum est, an timidos
 111 Medea 301-320; 329-339; 364-379. Audax nimium
 112 Thyestes 344-357; 365-368; 391-403. Regem non faciunt
 113 Anthol. Lat. 445 (Riese). Ablatus mihi Crispus
 114 Anthol. Lat. 418 (Riese). Nullum opus exurgit

M. ANNAEVVS LVCANVS

- 115 I, 183-227. Iam gelidas Caesar.

P. PAPINIVS STATIVS

- 116 Silvae II, 4. Psittace, dux volucrum
 117 Silvae V, 4. Crimine quo merui

M. VALERIVS MARTIALIS

- 118 I, 10. Petit Gemellus nuptias
 119 I, 13. Casta suo gladium
 120 I, 32. Non amo te
 121 I, 38. Quem recitas meus est
 122 I, 47. Nuper erat medicus
 123 II, 11. Quod fronte Selium
 124 II, 16. Zoilus aegrotat
 125 III, 12. Vnguentum, fateor
 126 III, 25. Si temperari balneum
 127 III, 52. Empta domus fuerat
 128 IV, 41. Quid recitaturus
 129 V, 8. Edictum domini
 130 V, 9. Langueram
 131 V, 34. Hanc tibi, Fronto
 132 V, 43. Thais habet nigros
 133 V, 49. Vidissem modo forte
 134 V, 56. Cui tradas, Lupe
 135 V, 58. Cras te victurum
 136 VII, 83. Eutrapelus tonsor
 137 VIII, 10. Emit lacernas
 138 VIII, 69. Miraris veteres
 139 IX, 15. Inscrisit tumulis
 140 IX, 68. Quid tibi nobiscum
 141 X, 62. Ludi magister
 142 XII, 29. Hermogenes

D. IVNIVS IVVENALIS

- 143 VIII, 231-244. Quid, Catilina, tuis
 144 X, 147-173. Expende Hannibalem
 145 X, 346-366. Nil ergo optabunt

P. AELIVS HADRIANVS IMPERATOR

- 146 F. P. R. p. 373 (Baehrens). Animula vagula

ANNIVS FLORVS

- 147 Anthol. Lat. 248 (Riese). Quando ponebam
 148 Anthol. Lat. 250 (Riese). 'Sperne mores

INCERTVS AVCTOR

- 149 Anthol. Lat. 388a (Riese). Heia, viri
 150 Anthol. Lat. 200 (Riese). Cras amet

PENTADIVS

- 151 Anthol. Lat. 235 (Riese). Sentio, fugit hiems

TIBERIANVS

- 152 P. L. M. III, p. 264 (Baehrens). Amnis ibat

POMPILIANVS

- 153 Anthol. Lat. 631 (Riese). Defensor patriae

D. MAGNVS AVSONIVS

- 154 II, 1 (Peiper). Mane iam
 155 VII, 1. 'Cui dono
 156 XIX, 32. Vane, quid adfectas
 157 XIX, 40. Vxor, vivamus

MODESTINVS

- 158 Anthol. Lat. 273 (Riese). Forte iacebat Amor

CLAVDIVS CLAVDIANVS

- 159 Carmina Minora XIII (Jeep). Felix, qui patriis

AVIANVS

- 160 V. Metiri se quemque decet

PHOCAS

- 161 Anthol. Lat. 671 (Riese). O vetustatis veneranda

ANICIVS MANLIVS BOETHIVS

- 162 De Consolatione Philosophiae I, 5. O stelliferi
 163 De Consolatione Philosophiae II, 8. Quod mundus stabili
 164 De Consolatione Philosophiae III, 12, 1-9; 14-28; 40-58.
 Felix, qui potuit

INNOCENTIVS III

- 165 Thesaurus Hymnologicus ii, p. 35 (Daniel). Veni, Sancte Spiritus

THOMAS A CELANO

- 166 Thesaurus Hymnologicus ii, p. 103 (Daniel). Dies irae

XYSTVS BETVLIVS AVGVSTANVS

- 167 Susanna 1774-1801 (Bolte). Beatus ille

INCERTVS AVCTOR

- 168 Sacred Latin Poetry LVII (Trench). Tandem audite me

Deacidified using the Bookkeeper process.
Neutralizing agent: Magnesium Oxide
Treatment Date: July 2006

PreservationTechnologies

A WORLD LEADER IN PAPER PRESERVATION

111 Thomson Park Drive
Cranberry Township, PA 16066
(724) 779-2111

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 040 809 3

